Becker
(Plautus)

DE COMICIS
ROMANORUM FABULIS
MAXIME PLAUTINIS
QUAESTIONES.

S C R I P S I T

GUILIELMUS ADOLPHUS BECKER,

ARCHAEOL. IN UNIV. LIPS. PROF. EXTR.

LIPSIAE,
SUMPTIBUS FREDERICI FLEISCHERI.
1837.

Bene, hercle, factum est et condigne, ut qui per duo ferme saecula neglectus turpique situ deformis iacuerat comoediae Romanae princeps*), eum nostra aetas diligentius curari eruditorum virorum studiis, purgarique et ex parte nitescere rursus videret. Nam post Camerarii et Parei religiosam diligentiam, si omiseris Gronovii quasi velitationem et paucas in locos selectos scriptas animadversiones, ad nostrum usque saeculum vix quisquam commemoratione dignus Plauti patrocinium suscepit; sed tanta doctorum virorum corda occupaverat socordia, ut Ernestius in praefatione editionis suae minime optabile esse affirmaret, „homines doctos rursus eo delabi errore opinionis, ut sicut in Terentio factum sit a Bentleio, ita ad leges poeticas refingi velint Plautum.“

Primus huius saeculi annus primam salutis spem Sarsinati poetae attulit, quum Trinummum Godofredus Hermannus, unam e praestantioribus fabulam, emendatam et ad sua metra revocatam in lucem emisisset. Qui vir ingenio atque eruditione aeque admirabilis utinam totum nobis Plautum, aut plures saltem fabulas ad illius exemplum dedisset! Sed tamen

*) Cf. Niebuhr: Ueb. die als untergesch. bez. Stellen im Plautus. Abh. d. Berl. Ak. 1816. 17. Hist. phil. Cl. p. 279.

quum exemplo esset, et edita doctrina metrica Plautinis quoque versibus constituendis viam munivisset, secuti sunt alii, inter quos Lindemannus non dubito quin aliquantum Plauto profuturus fuisset, si minus festinanter rem gessisset, et diligentius Palatinorum codicum vestigia pressisset.

Laetiorem spem portendere Plauto videbantur novissimae Epidici et Bacchidum editiones, quarum alteram Fridericus Iacob, alteram eamque duplicem emisit Ritschelius. Ac Ritschelio quidem magna habenda est gratia, quod omnium primus tam Palatinorum quam aliorum codicum editionumque memorabilium scripturae diversitatem diligentissime notavit, qua sola fieri potest ratione, ut incertae originis vulgata, coercita coniectandi libidine, tamquam ad Lydium lapidem exigatur. Itaque quamquam in locis haud paucis a viro doctissimo dissentio, tamen salutarem eius operam Plauto fore non dubito, quidquid clamitent obstrepantque Palatinorum codicum osores. Cogitet tamen „insanum magnum eum moliri negotium,“ qui ad digerendam ac refingendam istam molem sese accingat, neque multum prodesse amplissimum apparatum, nisi accedat plenissima, non modo sermonis Plautini, verum etiam prosodiae atque metricarum, quas ille quidem secutus est, legum cognitio atque intima quasi familiaritas.

Nam in examinandis Bacchidum editionibus vidi dubitanter eum quaedam proferre, quae sunt certissima, multa praetermittere aut corrigere, quae ex eadem lege erant iudicanda, denique nimium inter-

dum obsequi Palatinorum codicum auctoritati, et quamquam aliud est meae disputationis institutum, quam ut cuiusvis generis corruptos scriptoris locos emendem, tamen quoniam nihil impedit praemitti quasdam observationes eo pertinentes, ipse autem, ubi ex argumento agendum erit, liberius agere potero, leges, quibus teneri me existimem, professus, partem hanc criticam non omittam.

Ac primum quidem cavendum erit, ne nimii librorum Pall. admiratores non tam religiose, quam superstitiose auctoritatem eorum sequamur, quandoquidem eos quoque graviter esse corruptos arguit consensus cum vulgata, ubi certissima sunt depravationis indicia, arguunt monstra verborum, et scriptura interdum vulgata manifesto deterior.

Cuius rei primum exemplum ponam Bacch. II, 3, 45 sq.

Dum circumspecto atque ego lembum conspicor:
Longum est rigorem maleficum exornarier.

Nihil opis ferunt Pall. loco corrupto, quem aliter alii, sed infeliciter omnes emendare conati sunt, *strigonis*, *strigoris* et *triconis* vocabula Plauto obtrudentes. A quibus ita recessit Weisius, ut Bothium scilicet secutus totum versum tamquam a Plauti manu non profectum eiiciendum clamitaret. At, puto, si insertus fuisset ab interpolatore (liceat enim uti mihi barbara voce, usu fere recepta), sententia tamen aliqua in verbis esse deberet, nunc autem nulla est, nisi forte eam Weisius esse putat, ut dicat Chrysalus: nolle se scelestorum hominum conatum multis ex-

ornare. Hoc autem quam sit ineptum indicio est infinitivus passivus et nova rigoris significatio. Neque potest ullo modo abesse versus, nisi antecedentis quoque sententia iuguletur. Nam quid, obsecro, tam formidolosum in isto lembo fuit, quum plures haud dubie in portu starent naves? — Ipse tamen Bothius recte vidit apodosin esse in verbis: *atque ego lembum conspicor*, ut Epid. II, 2, 33.

Quom ad portum venio: atque ego illam illic video
praestolarier.

Merc. II, 1, 32.

Postquam hic quod volui transegi: atque ego conspicor
Navem ex Rhodo.

Virg. Georg. 1, 202.

— — — — *si brachia forte remisit:*
Atque illum in praeceps prono rapit alveus amni.

similiter Graecarum particularum καὶ τότε apud Homerum usui. — Iam manifestum dicam esse, infinitivum *exornarier* pertinere ad istum lembum, copulam autem *est*, quae per compendium scribitur ē commutandam cum praepositione totumque locum levi mutatione sublataque interpunctione in hunc modum esse scribendum:

Dum circumspecto: atque ego lembum conspicor
Longum e regione maleficum exornarier.

Lembum e regione, i. contra, ex adverso suae navi in portu stantem, exornari vidisse se mentitur Chrysalus, atque inde insidiarum suspicionem fuisse.

Eiusdem consensus exemplum est Trin. I, 2. 55.

Sunt, quos scio esse amicos; sunt, quos suspicor;
Sunt quorum ingenia atque animos non possum noscere,
Ad amici partem, an ad inimici pervenant.

Medium horum versuum vitiosum esse, docet syllabarum numerus metrum excedens, et fuit olim, qui rectius scriberet, omisso primo vocabulo. Hodie autem reducta voce ita scribitur versus:

Sunt quorum haud possum ingenia atque animos noscere.

Non recte. Quae enim sunt tria ista amicorum genera? Primum, quos certo scit esse. Alterum, quos suspicatur: eos, puto, non pernoverat. Accedit tertium, quorum etiam animos non pernovisse se ait. Vides v. 55. 56. esse explicationem verborum: *sunt quos suspicor*, quare delendum est *Sunt*. Locum paene gemellum habes Merc. V, 1, 10.

Ubi qui amici, qui infideles sint, nequeas pernoscere.

Fit autem hoc persaepe, ut tam in principio versus, quam in fine aut adscriptae, aut omissae sint voculae. Ita Poen. I, 2, 61. quod initio versus est: *Et* vel *En*, unde Bothius fecit *Hem*, abiiciendum est, ut versus hic sit:

Monstrum mulieris tantilla tanta verba funditat.

Nempe originem debet utraque particula postremis antecedentis versus literis *ent.* Omissionis autem in principio versus exemplum puto esse Bacch. IV, 9, 4.

Atridae duo fratres cluent fecisse facinus maximum,
Cum Priami patriam, Pergamum, divina munitum manu

Armis, equis, exercitu atque eximiis bellatoribus,
Millenum numero navium decumo anno post sub-
egerunt.

ubi *millenum* dicunt esse pro millenarum, i. mille navium. Equidem persuasissimum habeo errorem ortum esse primis sequentis vocabuli literis *num* bis scriptis librarii culpa, et suspicor olim fuisse: *Et mille numero navium*, cui coniecturae maiorem fidem facit locus Ciceronis, Verr. I, 18. *ut ne Persae quidem, cum bellum toti Graeciae, diis hominibusque indixissent, et mille numero navium classem ad Delum appulissent* (qui et ipse probus est tetrameter); non enim miror in Cicerone Plautinae orationis vestigia. Caeterum in nostro loco particula abesse vix potest. In fine omissum vocabulum videtur Most. I, 3, 48.

Solam ille me soli sibi suo liberavit.

ubi vulgo post *suo* inseritur *quom.* At tum saltem scribendum erat *liberarit;* abest autem vox a Mss. Legendum puto:

Solam ille me soli sibi suo liberavit aere.

Ultimum addam exemplum pravi Pall. cum suspecta vulgata consensus. Bacch. I, 1, 75.

Sequere hac igitur me intro in lectum, ut sedes
lassitudinem.

in quo versu fortasse miraberis quid vitiosum ducam esse. Quid enim magis convenit, quam ut lassa Bacchis in lecto cubans corpus reficiat? Fateor, sed tamen quum comparo v. 72. *aqua calet. eamus hinc intro ut laves. nam ut in navi vecta es, credo timida es,*

miror quae modo lavatum sororem iusserit abire, quomodo rursus in lectum sequi iubeat. Inde coniicio legendum esse:

Sequere hac igitur me intro lotum, ut sedes lassitudinem.

Nam lavando veteres optime refici corpus et defaecari putabant. Truc. II, 3, 7.

Mihi quoque prae lassitudine opus est ut lavem.

Aristoph. Ran. 1278 sqq.

ὦ Ζεῦ βασιλεῦ, τὸ χρῆμα τῶν κόπων ὅσον.
ἐγὼ μὲν οὖν ἐς τὸ βαλανεῖον βούλομαι·
ὑπὸ τῶν κόπων γὰρ τὼ νεφρὼ βουβωνιῶ.

Post lavationem potius in lecto cubare aequum fuit. vid. Ter. Eun. III, 5, 45.

Jam portenta verborum, in Pall. minime rara, nolo commemorare, plerorumque enim emendatio facilis est. Sed quod illorum librorum scripturam interdum manifesto deteriorem esse dixi vulgata, id satis habeam uno demonstrasse exemplo, petito e Bacch. IV, 7, 17.

O stulte, stulte, nescis nunc venire te,
Atque in eo ipso astas lapide ubi praeco praedicat.

Hic quod in Pall. est: *ut praeco praedicat*, nunquam recepisset in textum Ritschelius, si simul explicandorum verborum subiisset officium. Nam si scriptum esset: *atque in ipso astas lapide*, non haberem quidem quo explicarem verba *ut praeco praed.* sed nihil tamen ad explicanda antecedentia desiderarem. Nunc quoniam adiectum est *eo*, necesse est accedat aliqua relativa sententia, quae ad ipsum pronomen perti-

neat. Dicit autem Chrysalus quasi venalem haberi senem, neque ipsum sentire, quum tamen in eo ipso lapide astet, ubi, i. iuxta quem praeco praedicet, nimirum suggesto in quo exponebantur servi per praeconem venales. — Quod si quis pronomina referre velit ad antecedentia: *nescis venire te*, ut suppleatur: eo ipso lapide *ubi veneunt servi*, non credam facile, Plautum usum esse oratione tam *αἰνιγματικῇ*, cui Oedipode coniectore opus foret. — Nempe vitii suspicionem habet versus eam, quod dactylum excipit anapaestus. vid. Herm. Elem. M. p. 131 sqq. Qua si nunquam negligentius forma usus est Plautus — video enim corrigenda esse permulta — in nostro versu transponenda sunt vocabula: *praeco ubi praedicat*, aut statuendum est denique, totam in *lapide* communi pronunciatione extritam fuisse mediam vocalem.

Haec ego, quamquam silvae plurimum video superesse, satis habeam monuisse contra nimiam Pall. admirationem, qui ut integriores reliquis, non tamen ita sunt integri libri, ut omnibus locis vulgata ad eorum scripturam refingenda videatur.

Transeo ad prosodiam, cuius rationem nondum etiam satis perspectam esse video, maxime quod attinet ad correptionum quaedam genera. Neque enim certas tantum dico esse quarundam syllabarum correptiones, ut in vv.: *domi*, *manus*, *viro*, *fores*, *foras*, *boni*, *dolos*, *potest*, *quidem*, *satis* — *ipse*, *atque*, *nempe*, *unde*, *inde* atque aliorum, quae vulgares admodum sunt, ut mirari subeat, his vocibus deceptos esse edi-

tores, qui emendarent locos integerrimos. Quod Jacobus fecit Epid. I, 1, 11.

Quam quidem te iam diu perdidisse oportuit.

Is ut tetrametrum efficeret trochaicum pro *diu* scripsit *duello.* Satis honesta, puto, fuisset poena, si bello potius, non carnificis manu perdidisset. Dicit autem Epidicus, Thesprionis laevam dudum dignam fuisse, quae ferro praecideretur, quod interdum fuisse videtur atrocius furtorum supplicium. Certe in Suetonio (Calig. XXXII.) memini me legisse, servo in coena publica quum laminam argenteam lecto detraxisset, manus esse abscissas, eademque poena animadversum esse in falsarium. (Claud. XV.) Atque non infrequens fuisse id genus supplicii docent Livii libri et Caesaris commentarii. cf. Capt. III, 5, 10. Plauti versus est senarius in quo et *quidem*, et *diu* una syllaba pronunciantur. Praeter hunc in eadem scena sunt senarii vv. 4. 44. 45.

Sed in legendo iterum iterumque Plauto leges quasdam correptionis mihi videor reperisse, genera quaedam vocabulorum complectentes. Qua in re si quis erroris me idoneis argumentis convincat, cedam; nunc ita visum est.

Primum enim haud raro fieri video, ut quae literam *v* sequitur brevis syllaba, ita corripiatur, ut sola consonans audiatur, non solum in substantivis, qualia sunt *avis*, *navis*, *avos*, *Jovis*, quod notissimum est, verum etiam in verbis, eamque rem adumbratam invenio ab Hermanno, Elem. metr. p. 65. nisi quod latius hanc legem patere atque voces integras ser-

vandas arbitror. Hodie quidem diligentes admodum sunt viri docti in corrigendis huius generis locis contra librorum scripturam et plerumque cum magno sententiae detrimento. Videamus exempla. Poen. I, 2, 9 sq.

Nam nós usque ab aúrora ad hóc quod diéi est
Ex industria ámbae nunquám concessávimus
Lavári, fricári, tergéri, aut ornári.

Praetereo diversitatem scripturae, ex qua v. 9 pars prior paullum immutata redit: *postquam aurora illuxit,* nihil enim eo mutatur in altero hemistichio. Ibi vero correctum est: *concessamus*, quod quo argumento defendi possit, non video. Prodeunt enim mulieres facto ornatu parataeque quae abeant ad aedem Veneris, et queritur Adelphasium, tantum se temporis in componendo ornatu consumsisse. — Non magis recte Mil. II, 2, 18.

Módo nescio quis inspectavit vostrórum familiárium
Per nostrum impluvium intus etc.

quum praesens tempus a narratione alienum esset, ediderunt *vostrum.* Neque Trin. II, 2, 1.

Quo illic homo sé foras pénetravit ex aédibus?

quidquam licet mutare. Dudum enim exierat Lysiteles. In Bacchidibus autem V, 1, 11. eodem modo legendum puto *memoravit*, quamquam ibi metri ratio impeditior est, ut dubitari posse fatear. Neque aliter Pers. IV, 4, 3.

Númquid in principio cessavit vérbum doctum dicere?

Most. I, 2, 60.

Haéc verecúndiam mi ét virtutis modum
Déturbavit, éxuit, detéxitque a me illico.

et Bacch. IV, 9, 94.

Prius té cavisse ergo quám pudere aequóm fuit.

Eodem refero Truc. III, 2, 17.

— — — — — — *istaecce ridicularia*
Cavillátiones vis fortasse dicere?

Trin. IV, 1, 10.

Paúperibus te párcere solitum, divites damnare átque domare.

Capt. I, 2, 67.

Prognátum genere súmmo et summis divitiis.

cf. Terent. Heaut. I, 2, 20. III, 2, 16. Plaut. Menaechm. V, 3, 12.

Atque éccum incedit, móvet formicinúm gradum.

atque ibidem legendum puto: V, 8, 76.

Húnc censebat te ésse, credo, quúm vocavit te ad prándium.

Quare non metuendum erat Ritschelio, ne non ferenda esset omnium librorum scriptura Bacch. II, 2, 14.

Quia si illa inventa est, quam ille amat vivit recte ét valet.

An vero longae duae syllabae etiam coaluerint, non ausim certo affirmare. Certe fidem facere videtur locus Menaechm. I, 3, 2.

Ídem istuc aliis ádscriptivis ad légionem fieri solet.

Aliud idque frequens admodum correptionis genus est, quum geminantur consonantes literae. Eo enim

adducor exemplorum copia, ut omnem syllabam, quae est ante consonantem geminatam, pro ancipite habitam credam, sive in media voce sit illa positio, sive vocabulum consonante litera terminatum sequatur aliud ab eadem litera incipiens. Neque vero recondita, cur ita fiat, est causa. Nam si quis comparaverit haec vocabula: *mullus* — *multus*, *pellis* — *pelvis*, *cassus* — *castus*, *commeo* — *competo*, *verrere* — *vertere*, vel Germanica: Wellen — Welten, Masse — Maste, Kanne — Kante atque similia, fatebitur alteram positionem altera multo esse debiliorem. Atque hinc Franco-Gallorum grammatici, pauci illi, qui pleniore sapiunt pectore, geminatas consonantes ita fere iubent pronunciari, ut una tantum audiatur. Non igitur mirum Plautum, communem pronunciationem secutum, syllabis illis pro ancipitibus usum esse. Neque apud Plautum tantum eam admitti correptionem certum est, verum aliquot apud Terentium quoque locis, non solum in vocc. brevioribus, *ille*, *esse*, *posse*, sed in aliis pariter. Quod quum praeterierit viros doctos, dici vix potest, quot ex hoc fonte fluxerint coniecturae. Atque Ritschelius ad Bacch. I, 1, 57.

Ílle quidem hanc abdúcet tu nullus ádfueris, si nón lubet.

suspicatur tamen, fieri fortasse posse, ut *nullus* priorem corripiat, quo nihil certius dici debuit. E magno exemplorum numero aliqua saltem commemorem. Mil. IV, 4, 44.

Íd connexum in húmero laevo, éxpapillato brúchio.

Asin. I, 3, 88.

Pórtitorum símillimae sunt iánuae lenóniae.

Epid. III, 1, 13.

Quippe tu mi aliquid, áliquo modo, alicúnde ab aliquibús blatis.

ib. III, 4, 27.

Mihi illam ut tramíttas, argentum accipias.

Menaechm. II, 3, 82.

Túm facito ante sólis occasum ut vénias advorsúm mihi.

haec enim ibi est scriptura Pall. Trin. II, 1, 16.

Quam éxtemplo suáviis sagittátis percússu'st.

ubi fortasse legendum: *Quom extemplo.* vid. Rud. IV, 3, 40. Trin. III, 2, 99. Bacch. II, 3, 70. Capt. IV, 2, 6. Nam exclamatio, quam unice veram dicit esse Lindemannus, ab hoc loco alienissima est. Item Aulul. III, 5, 36.

Flammeárii, violárii, carinárii.

Mil. II, 2, 68.

Íntercludito inimicis commeátum tibi múni viam.

Capt. V, 4, 4.

Úbi labore lássitudo omni'st éxigenda e péctore.

Trin. II, 4, 20.

Pol opínor affinis nóster aedes véndidit.

ubi Acidalius correxit *opino*. ib. IV, 2, 28.

Áperite hoc, aperite, heus. ecquis his fóribus tutelám gerit.

Mil. IV, 5, 16.

Át scietis. séd ecqua ancilla est illi? Est primária.

ib. IV, 5, 16.

Móderare animo. né sis cupidus. séd eccam ipsa egreditúr foras.

atque ita in hac voce saepissime. Add. Bacch. III, 6, 41.

Póstremo si pérgis parum mihi fidem arbitrárier.
Tollam ego te in collum.

Mil. III, 1, 103.

Tum óbstetrix expóstulavit mécum parum missúm sibi.

Merc. II, 3, 46.

Jám non vereor, ne illam me amare hic pótuerit resciscere.

Capt. I, 2, 32.

Ossa átque pellis sum misera macritúdine.

Menaechm. II, 1, 10.

Istrós, Hispanos, Mássilienses, Íllyrios.

Asin. III, 1, 21.

Quíd dedit? quid déportari iussit ad nos? an tú tibi
Verba blanda esse aurum rere?

Poen. I, 2, 64.

Quíd habetis qui máge immortales vós credam esse quam égo siem?

Fortasse aliqua ex parte huc pertinet id quoque,

quod interdum syllaba ante literam z corripi videtur. Bacch. I, 2, 40.

Dic modo unde auférre me vis? á quo trapezitá
peto?

Trin. II, 4, 23.

Trapezitae mille dráchumarum Olýmpicum
Quas de ratione debuisti redditae.

Quamquam in postremo loco *mille* corripi potest. Aul. III, 5, 42.

Strophiárii astant, ástant semizonárii.

Verum ne taedium afferat nimia exemplorum copia, video occurrendum esse satietati lectorum. Itaque defungar iam hoc demonstrationis munere, postquam Terentii locos quosdam adiecero. Atque ut est hic in re metrica modestior, proculque ab ista licentia rem gerit, rariores apud eum esse correptiones consentaneum est. Praeterea emendatricem pleraeque manum expertae sunt, et feliciter e textu fabularum expunctae rarae superant, ut Andr. II, 1, 2.

Quí scis? Apud forum modo e Davo audívi. Vaeh
miseró mihi.

Neque enim *modo* monosyllabum esse potest. At eiusdem scenae v. 33.

Réddidisti animum. Núnc si quid potes, aút tu,
aut hic Býrrhia.

creticum veritus Bentleius correxit *redduxti.* Idem IV, 1, 37.

Vis me uxorem dúcere; hanc vis ámittere; ut pot-
eró feram.

cum Faerno scripsit *mittere*, causam addens, quod amittatur uxor iam domum ducta, mittatur, quae nondum ducta sit. At primum Glycerium Pamphilus pro uxore habuerat (I, 1, 119.), deinde Plauti Miles Philocomasium missurus pariter dicit IV, 1, 36:

Plácet ut dicis, séd ne istanc amittam, et haec mutét fidem.

Porro Andr. IV, 1, 17.

Múltum. molestus cérte ei fuero atque ánimo morem géssero.

correxit: *Nil? molestus* etc. et ib. IV, 1, 37.

Instáre ut dicerem me ésse ducturúm patri.

delevit *esse*, quod in omnibus est libris. Adde Phorm. II, 4, 24.

Sed eccum ipsum video in témpore huc se récipere.

Atque in Heautontimorumeno V, 2, 45.

Tam facillume patris pacem in leges conficiet suas.

non dubito, quin rectius *facillume* secundam, quam *patris* posteriorem corripiat. Sed huic loco a Bentleio male habito suos restituamus numeros. Verba a v. 41. haec sunt:

SYR. *Suspicionem istánc ex illis quaére. rem profér palam. aut*

Si nón est verum, ad misericordiam ámbos adducés cito.

Aut scibis cuius sis. CLIT. *Récte suades. fáciam.* SYR. *Sat recte hóc mihi in*

Méntem venit. námque adolescens quam in minima spe situs erit,

Tám facillume pátris pacem in léges conficiét suas.
Étiam haud scio an uxórem ducat, de Syro nil grátiae.
Quid hoc aútem? senex exit foras. ego fúgio. adhuc quod fáctum est
Mirór etc.

Bentleius ut vv. 44 — 46. daret iambicos, v. 44. *in* praeposuit scripsitque *difficillume* et *anne*; nam in mediis iambicis nulla causa, nullo more trochaicum intervenire ait. At recte mutatur numerus, quoniam abierat Clinia, et secum loquitur Syrus. Rursus mutatur a. v. 47. quoniam exiens senex Syrum de salute sua cogitantem territat et fugat. In eadem fabula IV, 7, 1. non eiiciendum erat *est*, sed legendum:

CHR. *Ubi Clítipho nunc ést?* SYR. *eccum me inque.*
CLIT. *eccum hic tibi.*

quae verborum mensura eo quoque commendatur, quod properanter Syrus suppeditat adolescenti, quid respondeat patri.

Atque haec quidem hactenus. Dicat autem fortasse aliquis, magnam locorum, quos commemoravi, partem facili negotio corrigi posse? Fateor; possum et ego. Verum si nulla est in Mss. varietas; si in sententia nihil est, quod reprehendas; si parte emendata tamen haud pauci superant loci, a quibus omnis vitii suspicio abest, quos sanos esse tota ratio ita docet, ut dubitationi ne locus quidem relictus sit: sentio de communi potius lege, e qua metiri versus possimus quam de emendatione cogitandum esse.

Metricas autem rationes quod attinet, quae in Plauto, ut sciunt omnes, sunt impeditissimae, tum propter turpem codicum depravationem, tum quod ea est et tam frequens mutatio numerorum, ut in eadem scena interdum Bacchiacos et Creticos, iambicos et trochaicos, dimetros et tetrametros, catalecticos et acatalectos habeamus (cf. Trin. II, 1.), maxime cavendum est, ne similitudine numerorum decipiamur. Et quamquam de Plauti quoque metris egregie meruisse intelligo virum illum εἰς πάντα πρῶτον, quem ita admiror, ut lubenter in me transferrem Terentii verba:

Cuius aemulari exopto negligentiam

Potius, quam aliorum obscuram diligentiam *),

modo in viro diligentissimo vel suspicio negligentiae posset esse, si tamen — quod audax paene ipsi mihi videtur facinus — in uno vel altero loco ab eius praeceptis dissensero, id eum aequi bonique facturum spero, imo scio.

Est autem unum praecipue genus versuum Creticorum, suavissimum et canticis inprimis aptum, quo multum delectatus esse videtur Plautus; non neglectum a viris doctis, sed nimia paene cura ad alienas leges refictum. Mensura versus haec est:

— ◡ — ◡ —

a quo diversus esse dicitur, qui tertiam habet brevem:

— ◡ ◡ ◡ —

*) Qui enim minus mihi liceat id profiteri, quam Broendstedius uti potuit verbis Ciceronis non dissimilibus. Reisen u. Untersuch. in Griechenland. 2 Buch. Vorr. p. XIX.

Inveniuntur autem tum soli, tum compositi cum dimetro Cretico:

— ◡ — — ◡ — | — ◡ ◡̲ ◡ —

atque hi quidem interdum eleganter miscentur Creticis tetrametris, vel Bacchiacis, interdum longiora cantica continuis his versibus decurrunt, quod factum est in Mostellaria III, 2, 1—24. Nam qui ibi putantur esse tetrametri vv. 10. 12. 22. 23. vereor ne non recte in eum numerum redacti sint. Certe in v. 22. nullo modo fieri potest ut legatur:

Nihil erit, quod deorum nullum accusites.

licet haec scriptura sit Pall. Contraria enim foret sententia, nisi pro *quod* legatur *quin*, quod ne ipsum quidem satis commodum est. Nam *nihil est, quod* quum sit pro *nulla est causa*, non potest sequi pronomen negativum. Graeci ita loquantur; Romani ingenii non puto esse. Iis enim in tali sententia propria sunt pronomina *quisquam* et *ullus*, non *nemo* aut *nullus*.

Iam vero prior illorum versuum dicitur esse trochaicus monometer hypercatalecticus, in altero pedi Cretico subiectam esse aliam arsin. Verum ne trochaicum illum esse credam, eo maxime adducor argumento, quod pro primo trochaeo haud raro est spondeus, etiam, nisi fallor, dactylus, quod in septenariis vulgare est, in tam brevi versu vix admitti posse videtur. Deinde posterior versus si Creticus esset accedente arsi, mirum foret nunquam purum servari Creticum

— ◡ — | —

sed ultimam solvi ubique. Denique quum comparo illud Creticorum genus, quod catalecticum dicitur, habens in fine trochaeum, quum in tertio pede ultimam admittat ancipitem, impellor, ut alterum eorum, de quibus dicimus, versuum a priore nulla alia re differre putem, quam syllaba ancipiti, in qua nihil potest offensionis esse. Nam Cretici quum non solum in medio versu ad asynartetorum exemplum, sed tum quoque, quum persona mutatur, aut pausam poscit ipsa sententia et hiatum et syllabam ancipitem non repudient, multo, ut idem fiat, aequius est, ubi transitur ad alium numerum. Ego vero de versibus illis ita sentio, ut Cretico iambum subiici putem, in hunc modum:

— ◡ — | ◡ —

vel in versu maiore

— ◡ — — ◡ — — ◡ ⏓ | ◡ —

Exemplo sit locus Bacch. IV, 4.

Cállidum senem
Cállidis dolis
Cómpuli et pèrpuli, mi ómnia ut créderet.
Núnc amanti hero,
Filio senis,
Quicum ego bibo,
Quicum edo et amo,
Régias cópias, aúreasque óbtuli,
Út domo súmeret, neú foris quaéreret.
Nón mi isti placent
Pármenonés Syri, qui duas, trés minas
Aúferunt heris.

De maiore autem versu redeo ad Most. III, 2.

SI. *Mélius annó (hoc) mihi nón fuit domi,*
Néc quando esca úna me iúverit magis.
Prándium uxór mihi pérbonum dedit.
Núnc dormitúm iubet me ire minime.
Nón mihi fórte visum íllico fuit,
Mélius quom prándium quám solitum dedit.
Vóluit in cúbiculum abdúcere me anus:
Nón bonus sómnu'st de prándio. apage.
Clánculum ex aédibus me édidi foras.
Tóta turgét mihi uxór scio nunc domi.
TR. *Rés parata ést male in vésperum huic seni.*
Nam ét coenandum ét cubandum ést intus male.
SI. *Quó magis cógito cúm animo meo:*
*Sí quis dotátam uxorem * * habet,*
* * *néminem sóllicitat sopor.*
Íre dormítum odio est. núnc vero mihi
Éxsequi cérta res ést, ut abeam
Pótius hinc ád forum, quám domi cubem.
Átque, pol, néscio, ut móribus sient.
Véstrae, haec sát scio quám me habeat male,
Péiusque posthác fore quám fuit mihi.
TR. *Si ábitus tuus tibi, senex, fécerit male,*
Níhil erit quód deorum úllum accusites;
Te ípse iure óptumo íncuses licet.

Ita locum constitui, ut in paucis a Pall. scriptura recederem. V. 6. Pall. habent *solum.* v. 12. pro *intus* habent *intra his.* vv. 15—17. in Mss. lacunosi sunt. v. 21. Pall. omittunt *que* et *mihi*, sed utrumque ve-

rissime additum est; nam *peius* non minus quam *eius* monosyllabum esse potest. v. 22. abest a Pall *Si.* v. 23. in utroque Ms. est *nullum*, qua de re antea dixi. Denique v. 24. habent: *iure opt. merito inc.* quam vocem puto esse inutilem interpretationem verborum *iure optumo.* Quod si tamen quis hoc vocabulum deleri aegre ferat, quum v. 12. Pall. scriptura: *cubandum'st intra his* ad Cod. Lips. lectionem ducamur: *si intrabis*, fieri posse puto, ut ille et postremus versus tetrametri sint, qui post aequalem versuum numerum sibi respondeant. Caeterum v. 1. malim omitti *hoc*, ut *anno* more Plautino sit: seit einem Jahre. Quod autem v. 6. 10. 16. 20. pro Creticis sunt choriambi, nihil eo offendor, quum sciam, quam saepe hoc pede Plautus in Creticis usus sit. Unum versum commemorasse satis erit, Asin. I, 2, 7.

Pérlecebrae, pérnicies, ádolescentum éxitium.

In Plauto igitur frequens est hoc versuum genus, interdum neglectum ab editoribus, ut Bacch. V, 1, 25.

Át mihi Chrýsalus, óptumus homo,

Pérdidit fílium, me átque omnem rém meam.

ubi non debebat in fine prioris versus addi *meum.* Quin nisi Pall. potius obsequerer auctoritati, quum in aliis libris verba ita collocentur: *atque omnem rem meam*, eum quoque versum ad illam rationem corrigendum putarem, deleto pronomine *me.* Mira enim est oratio: *mihi me perdidit.*

In Terentio autem, raro iambicos et trochaicos

numeros deserente, hodie nulla exstant exempla. Puto autem fuisse Andr. IV, 1. Nam quem in principio scenae dactylicum fecit Bentleius,

Hóccine crédibile aút memorábile?

is ex omnium librorum scriptura Creticus est:

Hóccine est crédibile, aút memorabile?

Deinde v. 11. quem etiam misere interpolavit Bentleius, addens duas voces, quae in nullo Ms. comparent:

Quis tu homo es? quis mihi es? cur ego meam tibi? heus.

sanissimus est in omnibus codd.:

Quís tu es? quís mihi es? cúr meam tibi? heus.

Tantum enim abest, ut hiatus quidquam vitii habeat, ut ne possit quidem recte elidi pronomen. Plaut. Cas. V, 4, 1.

Úbi tu es, qui cólere mores Mássilienses póstulas?

atque ita sexcenties. Sed Bentleius totam scenam corrupit, qua de re alio loco dicendum est.

Non possum autem a re metrica discedere, quin improbaverim licentiam, qua Epidici editor in constituendis versibus usus est. Nam senarios dedit in medio versu caesuram habentes IV, 2, 27.

Mihi illam ut tramittás, argentum — áccipias.

cuiusmodi Plautus nunquam fecit; legendum enim est:

Mihi illam — ut tramittas argentum áccipias.

et quod certissimum est nunquam sibi concessisse veteres poetas, ut in septenariis trochaicis septimo pede

dactylum admitterent, id bis terve sibi indulsit, ita ut in fine versus legatur *súspicio.* (l. suspício.) et *iubeas.* (l. lubens.) Trium nunc memini versuum propter hoc vitium suspectorum. Mil. IV, 8, 14.

PHIL. *Eam nobilitatem ámittendam video.* MIL. *Nimium haec flét.* PHIL. *Nequeo,*
Quom te video.

Ibi fortasse legendum: Nego. sc. nimium flere, quum te video, et in animum induco, qui vir sis. Puto autem verba esse non Philocomasii, sed Palaestrionis, quem par est respondere militi. Rem explicant vv. sequentes. — Deinde Merc. V, 2, 91.

Sánus non es. Quin pedes vos in curriculum cónii-
citis?

Ita vulg. Sed Pareus e Pall. dedit *conicitis*, quod fortasse verum est. Sic reicere, eicere, obicere. Mart. IV, 54, 9. *Nil adicit penso Lachesis.* Denique in eadem fabula, I, 2, 52.

CHAR. *Núllus sum.* AC. *Immo es* — CHAR. *Scio iam; miserum dices.* AC. *Tu dixti, égo taceo.*

proceleusmaticus adeo est pro trochaeo. Quum in V. C. sit *dixi*, in aliis Mss. *ergo taces*, fortasse legendum: *dixi ergo tacens.* Sed utut ista sese habeant, certe non inferenda temere sunt in textum Plauti vitia, neque augendus versuum claudicantium numerus.

Vereor, ne nimis diu in vestibulo quasi consti-

tisse longioremque instituendo operi moram imposuisse videar. Sed quum minus certis finibus circumscriptum sit meae disputationis genus, ut abrumpi possit, ubicunque visum fuerit, quumque ipsi mihi e re esse arbitrarer, praemitti illas observationes, nolui ea reticere, quorum memoriam rursus novissimarum editionum suscitaverat lectio. Ego rectene viderim, an falsa specie deceptus fuerim, videant eruditi. Meum certe omni tempore et fuit, et erit, nihil persuadere velle, nisi quod ipsa res suadeat, neque quidquam in literis vehementius odi, quam eorum impudentiam, qui dubia pro certis, cogitata pro compertis proterve ac fallaciter vendunt.

Soleo autem Plauti exemplaria non solum delectationis causa versare, quam inde capio maximam, nec qui criticis curis vitia emendem, quamquam ab eo negotio non licet vacuo esse lectori diligenti; verum praecipue rerum antiquarum causa, vitaeque et morum illius temporis cognoscendorum. Ex quo enim scriptore res veterum domesticas vitamque privatam plenius cognoscere sperabimus, quam ex eo, qui in ipso familiae coetu nos sistit, consiliis adhibet auditores, omnium quae clam palamve aguntur spectatores, qui domus ipsas recludit, et sui temporis castigator candidissimus ad vitam expressam ob oculos nobis ponit aetatis imaginem? Quamquam habet haec cognitio nonnihil difficultatis propterea, quod tractans non Graeca solum argumenta, sed e poetarum Graecorum fabulis petita, non potuit Plautus non miscere Graecos mores Romanis, quod interdum

ita ridiculum est, ut consulto a poeta, risum populi captante, factum esse videatur *).

Praeterea multi sunt loci ad antiquitatem pertinentes, iique maxime memorabiles, perquam obscuri et corrupti, qui nisi recte explicentur atque emendentur, errorum potius quam cognitionis fontes ne sint, periculum est. Quare operae pretium facturum censeo, si quis, quod qualicunque laude facere instituit Pareus **), totam Plauti antiquitatem diligenter collectam et pro generum diversitate digestam et dispositam illustret. Videntur autem quatuor maxime genera constituenda esse, quorum primum complectitur fabulas veteres, deos spectantes et res antiquissimis temporibus gestas, alterum rei publicae instituta, leges dico, edicta, ritus, magistratus; tertium vitam privatam; quartum ad artes artisque opera pertinet.

Atque ut inverso ordine agere liceat mihi, qui carptim nunc quidem praestantiora quaedam lecturus, non plenam messem facturus sum, primum locos ad artes quovis modo pertinentes illustrabo.

Perexiguum esse eorum locorum numerum nemo mirabitur, qui quam procul ab omni paene elegantia atque eruditione Plauti tempore fuerint Romani cogitaverit. Enimvero si Cicero Graecis literis ante alios sui aevi eruditus laudi propemodum sibi duxit, quod *rudis earum rerum* esset, (Verr. II, 35.) qua nos Plauti aequales fuisse φιλοτεχνίᾳ putemus, quibus

*) cf. Rostii diss. De Plauti auctoritate ad faciendam rerum antiquarum fidem. Opusc. 1. p. 1. sqq.

**) Electa Plautina. Neap. Nem. 1617.

Syracusarum expugnatio vixdum spectandorum operum Graecorum copiam fecerat, nova ornamentorum spectacula tum quoque multis improbantibus. (Plut. Marc. c. 21.) Neque solum ille nulla se trahi artium admiratione ait, sed cum contemtu paene Verr. IV, 2. quum Praxitelem nominasset, addit: *nimirum didici etiam, dum in istum inquiro, artificum nomina.* et plus semel Graecorum studium reprehendit. Verr. IV, 59. *hic ornatus, haec opera atque artificia, signa, tabulae pictae Graecos homines nimio opere delectant.* et cap. 60. *etenim mirandum in modum Graeci rebus istis, quas nos contemnimus, delectantur.* cf. cap. VII. in. *) Atque ipsum Verrem, quamvis insatiabile fanorum domuumque everriculum, ne quis sensisse credat, quid in signis picturisque pulchri esset consummatique, ipse cavit Cicero narrans l. IV, 13. eum in praedonum cohorte habuisse Cibyratas fratres, Tlepolemum et Hieronem, quorum oculis uteretur, quum manibus furaretur. Ipse autem adeo stupidus fuit atque ἄτεχνος, ut quum par illud nobile canum Cibyraticorum, Pamphili pecunia corruptum scyphos sigillatos praestantissimos luteum negotium dixisset, neque dignum, quod in argento suo Verres haberet, vir delicatissimus idem sibi videri diceret,

*) Mira sunt quae comminiscitur Meyer, Winkelm. W. VI. p. 271. Ciceronem, populum scilicet veritum, dissimulasse artium studium. Quasi vero apud Praetorem praesente populo habitae fuerint orationes illae, nec studiosissime defendat idem (p. Arch.) literarum Graecarum ac poesis studium, non multitudini solum, sed amplissimis quibusdam viris pariter suspectum atque contemtum.

atque opera eximia contemta remitteret. cap. XXIII. Fecit igitur homo avarissimus, quod hodie quoque facere quosdam videmus, qui leporis venustatisque expertes tamen id sibi splendori fore sperant, si, quae alios admirari vident, domum congerant. Itaque ergo artium amantes scientesque cluent.

In Plauto igitur si quis est locus prodens artium admirationem, eum Graeco poëtae deberi credam; interdum autem occasione data ac fortuito operum fit mentio, atque ii loci eo magis neglecti sunt a viris doctis, quo minus in his fabulis quaeruntur. Eiusmodi locus memorabilis legitur Trin. I, 2, 46 sqq.

Nam nunc ego si te surripuisse suspicer
Jovi coronam de capite, e Capitolio,
Quod in culmine astat summo; si id non feceris,
Atque id tamen mihi lubeat suspicarier,
Qui tu id prohibere me potes ne suspicer?

cui prope aequalis est locus Menaechm. V, 5, 38.

At ego te sacram coronam surripuisse scio Jovis,
Et ob eam rem in carcerem te esse compactum scio.

Verumne sacrilegium respexerit Plautus, an audacissimum facinus significare voluerit, dubitari potest. Lambinus quidem adnotavit, fecisse hoc Petilium quendam, eumque ex eo dictum esse Capitolinum, quam fabulam nullo nomine firmatam, qui secuti sunt editores, commentariis suis inseruerunt. At vero Capitolinus ille, neutiquam a sacrilegio nominatus, duobus paene saeculis post furti accusatus

est. vid. Horat. Sat. I, 4, 94 sqq. atque eius Commentatorem Crucquianum. Neque vero factum fuerit, nec ne, nostra quidquam attinet. Multo rectius aliquis quaerat, quod fuerit illud Jovis simulacrum, quo loco positum, quae corona.

Quae res ut illustrari recte possint, antea dicendum videtur de coronatis Jovis signis generatim. Video enim plerosque de simulacris eius in eum modum dicere, quasi solitum fuerit caput dei cingi olea, quercu, lauro, floribus. Quod ita verum esse puto, ut ubicunque imposita capiti fuerit corona, ex illis eam frondibus fuisse intelligam, sed longe maximam statuarum partem coronatam fuisse negem.

Primum enim Pausanias, quum tantum statuarum Jovis numerum recenseat, praeter Phidiae opus duo non amplius commemorat signa, quae coronas capite sustinuerint l. V, 22, 4. *προελθόντι δὲ ὀλίγον Ζεύς ἐστι πρὸς ἀνίσχοντα τετραμμένος ἥλιον, ἀετὸν ἔχων ὄρνιθα, καὶ τῇ ἑτέρᾳ τῶν χειρῶν κεραυνόν· ἐπίκειται δὲ αὐτῷ καὶ ἐπὶ τῇ κεφαλῇ στέφανος ἄνθη τὰ ἠρινά* (sic.) *Μεταποντίνων δέ ἐστιν ἀναθήματα.* et cap. XXIV, 1. *ἄγαλμα Διὸς ἐστεφανωμένον οἷα δὴ ἄνθεσι, καὶ ἐν τῇ δεξιᾷ χειρὶ αὐτοῦ κεραυνός πεποίηται — Θεσσαλῶν φασιν εἶναι ὅτε Φωκεῦσιν εἰς πόλεμον οὗτοι κατέστησαν.* Violarum coronas fuisse suspicari quis possit, (*ἄνθη ἠρινά,* siquidem sana est scriptura) is enim flos, ab Io, Inachi filia, qui nomen habere putabatur, Jovi sacer erat. (cf. Villois. ad Long. p. 46.) Sed in ~~opere caelato,~~ Mus. Pio-Clem. tom. IV. Bassir. tav. A. quum Iupiter etiam florea corona cinctus sit,

liliorum fere forma, quumque Visconti Jovem Eleutherium in numis Syracusanorum similem gerere ornatum moneat *), magis credibile est, illa quoque Iovis simulacra idem florum ornamentum habuisse. Sunt enim et lilia verna. Non autem commemorasset, puto, in illis statuis hunc ornatum Pausanias, in aliis tacuisset, nisi eo caruissent.

Deinde, quamquam non magnus Iovis statuarum numerus nobis e tanta multitudine reliquus est, (cf. Winkelm. opp. IV. p. 315 sqq. Ottfr. Mueller, Hdbch. d. Archaeol. p. 494. Boettig. Kunstmythol. t. II. p. 186. sqq.) tamen argumento potest esse, quod in nullo, quantum memini, signo coronae vestigium est. (vid. tria praestantissima: Giove di Verospi. Pio-Clem. tom. I. tav. I. Ocriculanus ib. tom. VI. tav. I. et Dresd. August. tom. II. tab. XXXIX.) Neque detractum esse capiti aurum quispiam credat; nam ut concedam, marmoreis deorum signis impositas esse coronas aureas, tamen foramina forent in marmore, fixae ibi coronae indicia. Ita factum est in statua Nervae Caes. Mus. Pio-Clem. tom. III.

*) l. l. p. 99. La fisonomia del suo volto, la disposizione della barba e delle chiome, finalmente la corona di fiori, tutto simiglia alle immagini di Giove Eleuterio nelle monete de' Siracusani. Fra i simulacri di questo Nume dedicati nell' Alti d'Olimpia ve n'avea più d'uno recinto le tempie di corona di fiori, quali appunto adornano nella presente immagine la testa di Giove. Nimirum duo fuerunt. Quod autem dicit *appunto*, non debet intelligi de forma coronae florumque genere, non indicato a Pausania, nisi forte Palmerii coniecturam probavit Visc., pro ἠρινά legendum censentis *κρίνα*.

p. 7. La corona di quercia è stata supplita di bronzo, secondando il cerchio de' piccioli fori, che rimangon nel marmo all' intorno del capo, signi evidenti che v'era fissata qualche corona. cf. Winkelm. W. IV. tab. V. A. p. 437. Fortasse tamen sola radiata Serapidis, Ammonis, Phoebi et Caesarum capitibus figebatur, atque eam Nervae quoque statuam gessisse videtur suspicari Visconti l. l. (più propria degli Augusti doppo l'apoteosi.) Praeterea plerumque ligantur capilli angusta diadematis fascia, coronae locum tenente.

His sollicitor, ut simulacra Iovis templis destinata atque in ipsis cellis posita caruisse coronae ornamento credam, nisi certi cuiusdam nominis accederet significatio. Propterea Iovis Olympii caput in divino Phidiae opere corona oleagina cinctum fuit: cuius enim auspiciis olea victoribus dabatur, eum idem insigne gestare par erat. Sed quamquam tanta erat operis celebritas, ut nulla fere exinde fingerentur Iovis signa, quae non referrent eundem vultum habitumque (cf. Hirt, Gesch. d. K. p. 139. Bilderb. p. 19.) tamen, ut consentaneum erat, corona, cuius alio loco nulla esset ratio, omittebatur. Metapontinorum autem et Thessalorum statuas votivas, quum re bene gesta partaque victoria positae fuerint, (cf. Sillig, Cat. art. n. Ageladas. Thiersch, Epoch. d. bild. K. p. 160. sqq.) non mirum coronis fuisse ornatas.

Iam vero, ut ad Capitolinum Iovem redeam, primum mihi quaerendum video, quod dei signum

Plautus dicere potuerit? Primam enim Iovi in Capitolio cellam Romulus dedicasse ferebatur perexiguam, in qua *stabat* ξόανον, *ligneus deus.* vid. Boettig. Kunstmyth. II. p. 192. Deinde quum vastissimum templum, inchoatum a Tarquinio Prisco, exstructum atque haud scio an ad culmen etiam perductum a Tarquinio Superbo, dedicaretur a. M. Horatio Pulvillo anno post reges exactos primo, effigies dei fictilis, quam, si Plinio (XXXV, 12. s. 45.) fides habenda est, ipse Priscus Tarquinius Turanio, sive Turiano cuidam Fregellano perficiendam locaverat, in cella posita est. Atque hoc signum sedentis in sella Iovis (Liv. V, 50. Burm. *Ζεὺς καταιβ.* p. 322. sqq.) inde a dedicatione ad incendium illud Sullanum, quo tota aedes conflagravit, intactum locum suum obtinuisse, persuasum habeo, mirorque Boettigerum vel leviter ea de re dubitare potuisse. (l. l. p. 193.) Neque enim quum tradit Livius, sive potius quicunque Epitomas librorum confecit, Epit. l. XIV. Iovis in Capitolio signum fulmine tactum caputque esse deiectum, intelligi potest statua in cella posita. Non enim tam longe proiici potuisset caput, ut per haruspices quaerendum esset. Verum de hoc loco paullo post accuratius videbimus. Deinde Carvilii statuam colosseam (Plin. XXXIV, 7. s. 18.) non in templo positam fuisse quivis intelligit, illud autem signum, quod T. Quinctius Cincinnatus a. U. 372. Romam advexit, ne ipsum quidem in cella dedicatum est. Ita enim Livius VI, 29. *T. Quinctius — Romam revertit, triumphansque signum Praeneste advectum*

Iovis Imperatoris in Capitolium tulit. Dedicatum est inter cellam Iovis ac Minervae. Igitur quum non disiunctae andronibus fuerint cellae, sed communes habuerint parietes (Hirt, Gesch. d. Bauk. I. p. 245. tab. VIII. 1.) ad medium, qui inter cellarum aditus erat parietem collocatum esse videtur. Nam Levezovii interpretationem loci Liviani (Iupiter Imper. p. 12.) *wo sie innerhalb der cella des Jupiter und der Minerva aufgestellt wurde*, fateor me non intelligere, siquidem neque communis numinibus cella fuit, neque scriptum est *intra.* Miror quid sit. Cur tamen intromissum in ipsam cellam non fuerit, difficile est dictu; nihil enim impediebat, quominus plura eiusdem numinis signa in eadem cella ponerentur. Quin quamquam dedicare unam cellam duobus numinibus non licuit, (vid. Liv. XXVII, 25.) simulacra tamen diversorum numinum una ponebantur, atque in ipsa Iovis cella Iunonis fuit effigies. Liv. VI, 4. (tres paterae aureae) *quas cum titulo nominis Camilli ante Capitolium incensum in Iovis cella constat ante pedes Iunonis positas fuisse.*

Fuit et aliud Plauti aetate in Capitolio Iovis Imperatoris signum, quod praestantissimum Graeci artificis opus e Macedonia captum in Capitolio posuerat Flaminius, teste Cicerone, Verr. IV, 58. Sed ut omittam Iovem Imperatorem (sive quisquis fuit *Οὔριος* ille) diversum fuisse a Capitolino, nullo certe modo vetustam fictilis illius effigiei religionem peregrino opere imminutam esse credam, quum constet, superstitiose cum veteres omnes, tum Romanos anti-

quissima illa opera servasse. cf. Plin. XXIV, 7. s. 16. XXXV, 12. s. 45. Cic. Cat. III, 8. Neque Plinius solus usque ad Asiam devictam lignea aut fictilia deorum simulacra in delubris dicata esse dicit, sed et Cato apud Livium XXXIV, 4. legis Oppiae acerrimus propugnator, *Infesta*, ait, *mihi credite signa ab Syracusis illata sunt huic urbi. iam nimis multos audio Corinthi et Athenarum ornamenta laudantes mirantesque, et antefixa fictilia deorum Romanorum ridentes. Ego hos malo propitios deos; et ita spero futuros, si in suis manere sedibus patiemur.*

Quare si in cella positum Iovis simulacrum respexit Plautus, intelligendum est fictile illud minio illitum. Verum hoc ipsum nego. Nam ut mittam, quod antea dixi, non videri multas Iovis statuas gessisse coronas; in gentis Petiliae aliisque *) nummis Iovis Capitolini caput esse nulla corona ornatum (Ottfr. Muell. Arch. p. 496. cf. Mionnet, de la rareté et du prix des med. Rom. p. 55. Vaillant, Num. fam. Rom. tom. II. tab. 107., ut haec inquam missa faciam, ipsum Plautinae fabulae textum corruptum esse iam videbimus.

Quis enim unquam scriptor Romanus tam ineptis usus est verbis, ut diceret *Capitolium astare in summo culmine?* Astare rarissime dicitur de rebus inanimatis. Praeter duos Virgilii locos, Aen. III, 123.

*) vid. Vaillant. tab. 150. inc. 2. tab. 35. Calp. 25. tab. 50. Corn. 60. tab. 139. Trebon. 1.

Hoste vacare domos, sedesque adstare relictas.

XII, 93.

Exin, quae mediis ingenti adnixa columnae
Aedibus adstabat, validam vi corripit hastam.

et Tib. I, X, 8.

Faginus adstabat cum scyphus ante dapes.

unius memini apud Tacitum loci Ann. XV, 37. crepidinibus stagni lupanaria astabant. Verum in his omnibus significat *stare paratum*, *dastehen*, ut recte interpretatus est Wunderlichius ad Tib. l. l. In Taciti loco dubium adeo est, an non traxerit verbum praepositionem e praecedente vocabulo. — Contra frequenter dicitur de hominibus et de signis, quia humanam formam imitantur. Idem Tacitus Ann. XIV, 4. *Enimvero cantus Appollini sacros, talique ornatu astare non modo in Graecis urbibus, sed Romana apud templa 'nomen praecipuum et praescium.* Id. III, 23. *Lepida theatrum ingressa lamentatione flebili maiores suos ciens, ipsumque Pompeium cuius ea monumenta et astantes imagines visebantur.* Plin. XXXIV, 8. s. 19. *Phidias praeter Iovem Olympium fecit et Minervam, quae est in Parthenone adstans.* — Atque non dici ita Latine sensit, puto, Rycquius (de Cap. p. 74.), qui scribendum coniecit: *exstat*, „ut naturalem loci altitudinem designet," vitium in verbo innocenti suspicatus.

Deinde *culmen*, quod tectum, aut ipsum fastigium

est aedificii, quis credat a Plauto pro vertice montis dictum ne addito quidem genitivo? Et, si ab his omnibus discesserimus, quo consilio addidisse haec poetam arbitremur? An docendi erant Romani, Capitolium in clivo, non in valle quaerendum esse? An audacia facinoris eo augetur, quod in monte committitur. Num quid dici potuit frigidius? Habeant ista sibi, quibuscunque placent. Mihi nemo persuadebit, tam fatuum Plautum fuisse, ac tanto opere ab usu loquendi recessisse.

Memoriae prodiderunt Plinius atque Plutarchus, iam tum, quum dedicaretur Iovis aedes, in culmine eius quadrigas esse positas. Has inanes fuisse, neque constitisse in iis deum, propterea vult Muellerus, (Etrusk. tom. II. p. 249.) quod nulla a scriptoribus signi divini fiat mentio. Livius tamen, qui has Veientanas quadrigas ignorat, lib. X, 23. narrat ab Ogulniis, Aed. Cur. foeneratoribus diem dictam, eorumque bonis multatis aenea in Capitolio limina, et trium mensarum argentea vasa in cella Iovis, *Iovemque in culmine cum quadrigis* esse positum; quod factum videtur a. U. 445. Eas neque argenteas, ut visum est Rycquio, neque aeneas, ut voluit Nardinus, sed ipsas quoque fictiles fuisse puto, et quum occupatum esset illis antiquioribus τοῦ προνάου culmen in adverso fastigio, aut inferius in contignationis decurrentis angulo positas suspicor. Neque defuisse Veientanis illis dei signum credo, et fortasse licebit hinc illustrare locum Ciceronis, Div.

I, 10. *cum Summanus in fastigio Iovis O. M., qui tum erat fictilis, e coelo ictus esset, nec usquam eius simulacri caput inveniretur, haruspices in Tiberim id depulsum esse dixerunt.* Non diversa prodigia sed unum dici a Cicerone et Liv. Epit. l. XIV. olim iam recte statuit Rycquius. Apud Livium tamen et scholiastam Ciceronis, ad Catil. III, 8. (quamquam aliud ibi prodigium dicit Cicero. cf. Div. II, 20.) eadem fere narrantem, non Summani, sed Iovis caput deiectum esse dicitur. Num igitur forte Summanum, etiam apud Etruscos cognatum Iovi numen, receptum a Romanis alterum quasi Iovem, detorta paullulum notione fuisse credamus? Certe Plinius, II, 52. *Tuscorum*, ait, *literae novem deos emittere fulmina existimant, eaque esse undecim generum: Iovem enim trina iaculari. Romani duo tantum ex iis servavere, diurna attribuentes Iovi, nocturna Summano.* atque in Inscript. Lat. apud Orellium. 1216. est: *Iovi Alto Summano.* (cf. Rycq. l. l. p. 27. 58.) Quod si verum sit, suspicari licebit, in altero aedis fastigio Iovis diurni, in altero nocturni fuisse signum. cf. Ottfr. Muell. Etrusk II. p. 60.

Iam vero, ut in pauca colligamus, quae adhuc disputavimus, quum in verbis Plauti vitium esse prodat insolens verborum significatio, ac sententiae tenuis importuna verbositas, quumque stetisse in culmine aedis Capitolinae Iovis effigiem testes sint locupletissimi, satis liquidum ac perspicuum puto, in Trinummo legendum esse:

Nam nunc ego si te surripuisse suspicer
Iovi coronam de capite e Capitolio,
Qui in culmine astat summo etc.

Facili errore librarii pronomen ad proximum retulerunt substantivum, atque inde genus mutatum est. Quod si tamen non satis apto loco positum cui videatur, atque incommode disiungi a nomine suo existimetur, ei comparandum dabo Terentii locum, Phorm. II, 2, 32.

— — — — *nunquam tam graves*
Ob hanc inimicitias caperem in vostram familiam,
Quam is aspernatur nunc tam illiberaliter.

ubi praecedit adeo nomen eiusdem generis, quo errori magis etiam locus datur. Item Plaut. Epid. I, 1, 53.

Et is danista advenit una cum eo, qui argentum petit.

Vides uno facilique remedio simul omnia sanata. Nam et vocabulis *astare* et *culmen* sua reddita est significatio, et nefarium simul atque audacissimum proponitur facinus, et corona recte tribuitur Jovis simulacro. Nam si positum in cella signum caruisse coronae ornamento dixi (quamquam in Graecae artis opere certius id affirmare ausim, quam in Tuscanico: cf. tamen Iuven. Sat. XI, 116.) contra eum, qui in quadrigis triumphator astabat (cf. Muell. Etrusk. II. p. 249.) coronam gestasse nemo dubitabit.

Superest, ut quaeramus, quae fuerit illa corona? Potuit enim aut querna esse, aut laurea. Atque

erunt fortasse qui quernam fuisse malint. Haec enim Iovis arbor (*esculus*, Plin. XVI, 5.) atque in ludis Capitolinis, institutis a Domitiano (Suet. c. V.) querna corona victoribus dabatur, unde *Capitolina* sive *Tarpeia quercus*. Iuven. VI, 386. Mart. IV, 54, 1. 1, 6. Verumtamen solita Iovis corona laurus est. vid. Winkelm. W. II. p. 493. V. tab. VII. Hirt, Bild. II, 2. Mionnet Descr. tom. I. p. 181. Bruttium n. 780. (tab. 65.) p. 512. Macedonia n. 49. 61. al. (tab. 70.) II. p. 103. Boeotia. n. 59. 60. (tab. 72.) II. p. 244. Arcadia. n. 6. 7. 11. 17. al. (tab. 73. Broendsted, Reisen. II. tab. XLVIII. n. 2. 3. 6. p. 307. sq. ad quae accedunt Romanorum nummi plurimi, et quamquam non nego *Διὸς Πολιέως ἱερὸν ὄντα τὸν τῆς δρυὸς στέφανον* (Plut. Coriol. c. 3.) Romanorum Iovi O. M. unice convenire — ille qui in culmine astabat cum quadrigis Triumphans erat, atque triumphantium corona laurus. Falsissima autem sunt, quae docet Alex. ab Al. Gen. d. lib. VI, 6. p. 495. *Quam quidem coronam* (lauream) *non ipsos triumphantes gestare, sed servum in curru eodem, qui supra illius verticem ipsam teneret, post se habere tradunt.* Ipsam enim triumphantium comam lauro viridi nativa vinctam fuisse, sicut ovantium myrto, vix est, quod exemplis comprobetur. (v. Plin. XV, 30. s. 40. *laurum in manu tenuit, coronamque capite gessit.* ib. s. 28. Plut. Crass. 22. Ovid. Am. I, 2, 23.) Sed tamen, quum Plinius diserte narret, servum sustinuisse a tergo coronam ex auro Etruscam („gemmis et foliis ex auro quer-

cinis Tert. στέφανος ὁ διάλιθος καὶ διάχρυσος. Dio Cass. XLIV, 6.“) atque Marii exemplum subiungat, cumque eodem venisse magistratum ornatu in pompa Circensi memoret Iuven. X, 36. sqq., recte Muellerus duplicem in triumpho coronarum usum fuisse statuit; alteram capite gessisse triumphatorem, alteram servum supra caput eius sustinuisse. Etrusk. I. p. 371. cf. Boettig. K. M. II. p. 198. Modo quid cum radiata corona commune fuerit triumphantibus nescio.

Aspice iam, quam subita collabantur ruina, quae disputavit de querna Iovis in Capitolio corona Boettigerus, Kunstmyth. II. p. 195. Nititur enim tota de coronato in cella Iove hoc uno fulcro Plautino, neque aliud alius scriptoris testimonium afferre potuit Rycquius (p. 74.). Potest autem vel hic locus esse exemplo, quam incerta sit omnis rerum antiquarum cognitio, nisi plena linguarum scientia atque artis criticae auxilio munita sit et quasi substructa.

Sed ut ad alium tandem me locum convertam, quod in Mercatore II, 2, 42. scribit Plautus:

Si unquam vidisti pictum amatorem, hem, illic est.
Nam meo quidem animo vetulus decrepitus senex
Tantidem est, quasi sit signum pictum in pariete.

videamus quorsum spectet. Senis imago est decrepiti, sed incontinentis et libidine prurientis, propter hoc ipsum autem deridiculi. Quam amatoris umbram

(non animo qnidem, sed corpore) quum comparet poeta cum signo picto, credibile est, in animo eum habuisse etiam picturam rei ridiculae, aut certe amatoris mulierem misere depereuntis. Ab eo picturarum genere, licet olim contemto, non abstinuisse tamen Graecos artifices inde ab Antiphilo — nisi ex parte *minores Parrhasii tubellas* huc pertinere statuamus — testatur Plinius, l. XXXV, 10. s. 36. 37., qui pinxisse hunc libidines, Calliclem et Calaten comicas tabellas narrat; Antiphilum Gryllorum esse auctorem, Pyreicum a picturarum genere ῥυπαρογράφον esse nominatum. Hanc ῥυπαρογραφίαν occupatam fuisse in pingendis hominibus humili sorte viventibus locisque sordidioribus, neque dici hac voce rerum inanimatarum, ut florum, fructuum, obsoniorum picturas (*Stillleben*, ut visum est Ottfr. Muellero Archaeol. p. 162. cf. Grund, Gesch. d. Mal. II. p. 752.) docet vocabuli etymologia atque Plinius ipse, narrans Pyreicum pinxisse *tonstrinas*, *sutrinas et asellos et obsonia.* Non igitur propter obsonia sola illo nomine appellatus est, atque haec ipsa fortasse ex eodem genere fuerunt, quo nostri aevi tabulae celeberrimae. (e. g. Die Wildpretshaendler von Gabr. Metsü od. Fr. Mieris. Der Frucht-, Fisch- u. a. Maerkte von Snyders, al.) Itaque picturae ex eo genere, quo excelluerunt Adr. ab Ostade, David Teniers, P. Molenaer, P. de Laar, Dietrich, aliique (Bambocciaden) recte inter rhyparographorum opera numerantur. Illae vero quae *Xenia* Philostrato, nobis dicuntur *Stillleben*, non magis in hoc genere censendae sunt,

quam G. Dow, G. Terbourg, Casp. Netscher atque aliorum immortalia opera, vitae communis, neque tamen sordidae, res diligenter imitantia. cf. Hirt, Kunstbemerk. p. 102.

Nimirum continentur haec genera omnia uno ampliore genere, τῇ ῥωπογραφίᾳ (*Kleinigkeitsmalerei, Kleinmeisterei, minor pictura*, Plin. l. l. s. 37.) cui recte opponitur ἡ μεγαλογραφία, *habens deorum simulacra, seu fabularum dispositas explicationes.* Vitruv. VII, 5, 2. cf. Welcker ad Philostr. p. 396. sq. iniuria tamen vocabulum ῥυπαρογράφου damnans. Neque vero Ciceronem, quum Attico scribit, XX, 16. *itaque me referunt pedes in Tusculanum. et tamen haec ipsa* ῥωπογραφία *ripulae videtur habitura celerem satietatem.*, quidquam aliud significasse arbitror, quam pusillam, si ita loqui fas est, loci amoenitatem. cf. Salmasii et Gronovii adnn. Non enim Ciceronis aetate usitata fuisse videntur topiaria opera, i. regionum et locorum picturae. vid. Winkelm. Opp. II. p. 256. VII. p. 221. secutum Plinii testimonium l. XXXV, 10. s. 37. Quem dum erroris convincere vult Fea (tom. II. p. 353. sq.) ipse errasse videtur. Platonis enim verba aut ad scenographiam pertinent, aut de parergis tabularum ex historico genere intelligi debent. Sic Itali recentioris aevi, in megalographia longe praestantissimi, regionum et locorum picturam, nisi quae faceret ad argumenti dignioris exornationem, fere contemsisse videntur., (cf. Hirt, Kunstbem. p. 108.) Ipse tamen Hirtius (Gesch. d.

bild. K. p. 332.) etiam ante Ludium dudum topiaria picta esse colligit e Vitruvii l. l. Nescio quo iure. Verba enim scriptoris: *pinguntur portus, promontoria, litora* etc. qui minus recte ad ipsius aetatem referuntur? Monstri autem instar foret, inter tot pictorum omnis generis nomina nullius, qui in illo genere excelluerit, artificis nomen nobis servatum esse, neque ullam ante Augusti tempora eiusmodi picturam commemorari. cf. etiam Carus, Briefe üb. Landschaftsmal. Br. 5.

Enimvero neglecta haec esse a Graecis pictoribus, eo facilius mihi persuaderi patior, quod apud poetas idem video esse de illis rebus silentium. Neque enim, quum ab Homero narratur, quales fuerint Alcinoi horti, aut Calypsus antrum (V, 63. sqq.) aut e monte Samothraciae Idae Troiaeque prospectus (Iliad. XIII, 13.), quum in Sophoclis Oedipode Coloneo ab in. Eumenidum lucus egregiis sane versibus laudatur, et si qui sunt alii eiusdem generis loci, in picturae id unquam fit modum, quae certis partibus constat; sed singulae narrantur locorum amoenitates, aut quae ad nectendam rerum seriem necessaria sunt. Contra Virg. Aen. II, 159. sqq. Ovid. Met. III, 155 sqq. 407 sqq. V, 385 sqq. atque aliis locis quam plurimis omnia sunt ad tabulae pictae formam faciemque disposita, ut si aptare licet rei paullum diversae vocabula philosophica, hoc narrationis genus dixerim intuitivum, illud discursivum.

Sed ut nimium quantum a proposito digressus

redeam tandem, unde egressus sum, pictura, quam in versibus illis respexit poeta — videntur autem translati e Graeca comoedia — potuit esse ex eo genere, quod Plinius *libidines* dixit. (Prop. II, 6, 27. *obscoenae tabellae.*) Quamquam enim tabulas illas Parrhasii nemo facile credat distortis vultibus et corporum deformitate fuisse ridiculas (Caricaturen. vid. Sill. Cat. p. 322.) praesertim quum unius argumentum, turpissimum sane, Suetonius servaverit, tamen petulantis ioci fuisse dicuntur. potuit vero etiam *ῥυπαρογράφου* cuiusdam opus esse, modo amatorem dederit animo impotenti et cupiditate misere pereuntem.

Caeterum coniunge: *signum pictum — in pariete*, non *pictum in pariete*, neque cum Rostio verte: wie ein Bildniss an die Wand gemalt; sed: wie ein Bild an der Wand, quod ut suadeam duplex est causa. Primum enim minus credibile est, in parietibus argumenta libidinosa explicata fuisse; deinde, quod maius est, ne temporibus quidem aptum foret alterum. Nam si Philemonis sunt versus, ut videntur esse, qui novae Comoediae poeta antiquissimus Ol. CXII. fabulas docere coepit (Meineke, Men. et Phil. rell. p. XLIV.) Appellis igitur et Protogenis aequalis fuit, obstat Plinii testimonium, posteà demum privatarum certe aedium parietes pingi coeptas tradentis. l. XXXV, 10. 37. *Sed nulla gloria artificum nisi eorum, qui tabulas pinxere; eo venerabilior antiquitatis prudentia apparet. Non enim parietes excolebant dominis tantum, nec domos uno in loco mansuras, quae ex incendiis rapi*

non possent. Casula Protogenes contentus erat in hortulo suo. Nulla in Apellis tectoriis pictura erat. Nondum libebat parietes totos pingere.

Audiendus ea de re ante alios Boettigerus, Archaeol. d. Malerei. p. 280—284. qui vir antiquitatis longe peritissimus Polygnoti in Poecile picturas tabulas fuisse docuit, statuitque omnes adeo, quae templa et porticus ornarint, picturas non in tectorio, sed in tabulis fuisse pictas, easque deinde parietibus esse aptatas, (unde vestiri dicuntur parietes ac deformari avulsis tabulis. Cic. Verr. IV, 55.) quo modo postea excisae quoque parietibus picturae rursus tectorio inclusae sunt. cf. Boettig. Aldobrand. Hochz. p. 12. Steinbuechel, Alterthumsk. p. 31. Goro v. Agyagf. Wander. d. Pompeii. p. 71.

Cogitandum est igitur in loco Mercatoris de tabula aut suspensa in pariete, aut tectorio inclusa, ut Menaechm. I, 2, 34.

Dic mihi, numqua tu vidisti t a b u l a m p i c t a m *in*
p a r i e t e,
Ubi aquila Catamitum raperet, aut ubi Venus
Adoneum?

Alius ad artem pingendi spectans locus est Asin. IV, 1, 16 sqq.

Aut quod illa dicat peregre allatam epistolam,
Ne epistola quidem ulla siet in aedibus,

Nec cerata adeo tabula; et si qua inutilis
Pictura sit, eam vendat. ni quatriduo
Abalienarit, quo ex argentum acceperit,
Tuus arbitratus sit. comburas si velis:
Ne illi sit cera, ubi facere possit literas.

Habemus ibi Diabolum, iuvenem stolidum, iracundum suspiciosum, omnis elegantiae expertem, qui amicae in annum dies noctesque emturus syngraphum a Parasito conscribendum curaverat, quo meretrici omnem alterius amatoris spem rigidis conditionibus praecideret. Negat igitur se passurum, ullam in aedibus esse epistolam, quippe quae ab amatore possit esse, neque ceratam adeo tabulam. Haeserunt in hac cera interpretes. Douza enim „iconicum ex cera picturae genus" intelligit, cui veterum testimonia adstruens Taubmannus nugas egit, itemque Pareus. Quamquam enim statuas et imagines et poma e cera ficta scimus (vid. Fea ad Wink. Opp. III. p. 297. Boettig. Sabina. I. p. 220. 275sqq. Cic. Verr. IV, 13.) tamen de caelato opere nihil usquam traditum accepimus. Dubitari nequit, quin scripserit Parasitus, arcendas esse a domo Philenii non solum epistolas omnes, tabellas scriptas, verum etiam vacuas literis, et quamquam in ea re tabellarum, codillorum, pugillarium nomina fere usurpantur, potuit tamen Plautus generatim loquens etiam tabulae uti vocabulo.

Illa igitur verba ad artem non pertinent. Picturae autem Diabolo aut propterea sunt suspectae, quod ne citius corrumperentur cera obducebantur — nisi hoc

in solis tectoriis operibus factum est. (cf. Stieglitz, Archaeol. Unterhalt. p. 162 sq.) — aut de encausto cogitandum est, unde metuit amator, ne quid cerae Philenium abradat.

Praeterea egregia est in verbo *inutilis* *εἰρωνεία*, qua adolescens stupidus atque artium rudis verissime pingitur. Ineptissima enim est Lambini aliorumque explicatio, *inutilem* accipientium pro *mali exempli*, quum tamen in proximis causa addatur: ne illi sit cera, ubi facere possit literas. Quod nisi metuisset, non, puto, ingrata fuisset homini impurissimo nequitiae in tabula exemplum.

His, quae de artium operibus apud Plautum leguntur subiicio quartum locum, qui num in eodem genere numerandus sit, videndum est. Legitur Cist. II, 1, 46.

Di me omnes magni minutique et patellarii
Faxint, ne ego vivos dem suavium Silenio,
Nisi ego te tuamque filiam meque hodie obtruncavero.

Nihil hic de scriptura disputabo. Sunt enim versus mutili atque lacunas notavit Pareus. Id tamen certissimum est, distingui deos magnos, minutos et patellarios. Atque hi, qui infimi minimique dicuntur, Lares et Penates esse putantur „quibus in patellis apponebantur epulae, et qui patellis colebantur, non pateris.“ „Vel ita dicti a piscibus minutis (!), qui in patellis apponebantur, non in pateris, quemadmo-

dum cibi tenuiores et viliores.“ Ita Lambinus, contra quem primum mihi monendum est, dapes nunquam pateris appositas esse, sed lancibus vel patellis, easque non parvulas fuisse omnes et viles (quales fuere *Cumanae.* Mart. XIV, 114. Horat. Sat. I, 6, 118.) sed grandes quoque et pretiosissimas. Deinde quamquam Festus scribit *praesertim Laribus Penatibusque* in patellis cibos esse oblatos, tamen etiam diis magnis sacra fiebant iisdem patellis. cf. Virg. Georg. II, 194. Ovid. VI, 310.

Fert missos Vestae pura patella cibos.

Igitur quum non propriae fuerint patellae Laribus, non credibile est, Plautum nomen inde diis fecisse. Scimus autem patellas aliaque quibus sacra fierent vasa, ut pateras et turibula, ornata fuisse sigillis ac simulacris deorum, Cic. Verr. IV, 21. *Nam domus erat ante istum Praetorem nulla paullo locupletior, qua in domo haec non essent: patella grandis cum sigillis ac simulacris deorum; patera, qua mulieres ad res divinas uterentur; turibulum. Haec autem omnia antiquo opere et summo artificio facta.* Ib. cap. 22. *apposuit patellam, in qua sigilla erant egregia. Iste continuo ut vidit, non dubitavit illud insigne Penatium hospitaliumque deorum ex hospitali mensa tollere. Sed tamen — sigillis avulsis reliquum argentum sine ulla avaritia reddidit.* Iam non est omittendum Alcesimarchum Silenii amore scurriliter insanientem et per totam scenam maxime autem in obtestatione deorum inconditissima quaeque effutientem, non vider

serio tria illa deorum genera constituere, sed ridicule haec quoque dicta esse. Fortasse igitur signa deorum respiciens, quae in patellis fuerunt minima, minutis diis patellarios subiecit.

Postremo nescio an etiam aliquo certe modo inter artis opera habenda sint tapetia, quae commemorantur Pseud. I, 2, 14.

Ita ego vostra latera loris faciam ut valide varia sint,
Ut ne peristromata quidem aeque picta sint Campanica,
Neque Alexandrina belluata conchyliata tapetia.

Ita scribendum videtur, licet in Palatinis sit: *consiliata*, in quibusdam *consulta*, Stich. II, 2, 54. adeo *consuta*. E *conchyliatis* facta primum sunt *conciliata*, atque inde natus largus errorum proventus. Sunt autem conchyliata tapetia conchylio vel murice tincta ut apud Ciceronem, Verr. IV, 26. *stragula vestis conchylio tincta.* Quae quum praeterea dicuntur *belluata*, pertinet hoc ad artem illam Alexandrinorum, varias belluarum et monstrorum formas, quae acu pingebantur in peripetasmatis Babylonicis, in textili opere imitantium. Aristoph. Ran. v. 937. sq.

Οὐχ ἱππαλεκτρυόνας γε, μὰ Δί', οὐ τραγελάφους ἅπερ σύ,
ἃ'ν τοῖσι παραπετάσμασιν τοῖς Μηδικοῖς γράφουσιν.

cf. Pac. v. 1177. Cic. Tusc. V, 21. *collocari iussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrimo, textili stra-*

gulo, *magnificis operibus picto*. Et fortasse Campanica peristromata ex eodem genere fuerunt.

En tibi locos iam omnes, in quibus artis opera a Plauto narrantur. Nihil praeter haec me legisse memini, quod accedere possit exiguo sane numero, nisi forte Appellis atque Zeuxidis commemorationem, (Poen. V, 4, 101.) aut Acheruntis picturam, (Capt. V, 4, 1.) aut anulorum signa, (Amphitr. I, 1, 266. Curc. III, 54.) et Polymachaeroplacidae symbolum (Pseud. II, 2, 54.) aut denique Simonis postes, (Most. III, 2, 135. sqq.) desiderabis. At ista neque explicatione indigent, neque ulla ex parte antiquitatis cognitionem augent. Iure igitur tacentur.

VINDICIAE
COMOEDIAE ROMANAE.

Nihil perpetuum datum esse, sed actutum fortunas mutari, omniumque rerum esse vicissitudinem, et ipsi experimur quotidie, qui vivimus, et post fata rogumque experta saepissime sunt nomina celeberrima, expertus est et ille, qui aliquoties populares suos de inconstantia rerum humanarum admonuit. Quem ego minus aegre tulisse arbitror rei familiaris, quam fecisse narratur, iacturam, quam nunc, si sentire posset, laturus esset palmae sibi ereptae iniuriam et indignam obtrectationem. Nisi enim stulte fecerunt magnanimi illi, qui κλέος εὐρὺ vitae pretio sibi parere non dubitarunt, nisi frustra Horatius non omnem se moriturum speravit, nostratesque poetae famam superstitem omnium bonorum summum falso dixerunt esse, nisi inquam inanem speciem puerili captamus errore, quicunque laudem virtute partam atque aequum posteritatis iudicium inertiae munditiisque praevertimus, nihil sanctius, nihil intactum magis esse debet, quam illa ipsa, quae bene promeritorum est praemium, fama.

Atque ne importuni potius quadruplatores, quam castigatores videamur, ac debitarum laudum exactores, benefactorum quidem virtutisque, quae animorum est, memoriam non dicimus interire, aut novo saeculorum proventu obliterari, quandoquidem neque virtus ipsa unquam mutatur, neque ullum praeter

rationis aeternum immotae aequissimum et incorruptum exspectat iudicium, simulac remotae sunt irae atque obtrectationis, quae vivos lacessere solent, causae.

Non item ingenii quae dicuntur opera, in quibus aestimandis ipsa temporum ratio plurimum habet momenti, siquidem non eadem est omni aetate neque mentium eruditio, neque animorum elegantia, et diversa diversis temporibus populi aut laudant, aut improbant, diversis delectantur. Quare non omni ex parte verum haberi debet, quod veteres cecinerunt poetae, pasci in vivis livorem, post fata quiescere, et, qui Horatii sunt versus praestantissimi,

Urit enim fulgore suo, qui praegravat artes
Infra se positas. exstinctus amabitur idem.

Quamquam minus livori ea in re dantur partes, quam arrogantiae, non ex ratione, sed libidine ac suo more modoque omnia iudicanti, neque in proprii unquam ingenii perversitate iudiciorum discrepantium causas suspicanti. Quippe ubi delicatior est aetas molliorque et luxu perdita displicere solet genuina illa minus elegantium temporum simplicitas, atque inurbana crepatur, imo sordida, rus merum; et vidi vero qui pluris facerent Euripidem quam Aeschylum; qui Berninii statuas praestantissimis veteris Graeciae operibus, Van der Werffii tabellas sublimibus Rembrandtii vel Rubenii picturis longe anteponerent.

Non igitur effugit communem hanc ingeniorum calamitatem ille, de quo nunc scripturus sum, poëta Sarsinas, qui quum non inter aequales solum, verum per duo saecula summa laude floruisset, exinde gra-

viter est vituperatus, ut non multum abesset, quin e poetarum numero, digniorum certe, nomen eius tolleretur. Ex quo tamen laudis discrimine ita emersit, ut quum inter praestantissimos habitus antea esset poetas comicos, deinde paene unicus haberetur, donec novissimis temporibus iniquissima expertus est iudicia. Quae qualia sint et quanti facienda, ita quaerere constitui, ut simul comoediae Romanae quod fuerit ingenium cognoscatur.

Primum igitur nemo nescit, ipsum Horatium, subtilem sane iudicem, cuius tritae Graecorum lectione exemplorum et delicatissimorum hominum consuetudine aures non ferrent facile, quidquid dictum esset minus eleganter, non nimium Plauti admiratorem fuisse, qui Epist. II, 1, 170 sqq. ita scribit:

— — — — — *aspice, Plautus*
Quo pacto partes tutetur amantis ephebi,
Ut patris attenti, lenonis ut insidiosi.

Fuerunt quidem, qui bene cupientes Plauto non improbari ab Horatio sed laudari fabularum personas contenderent; benevole magis et humaniter, quam scite et considerate. Etiamsi enim non postularet totius loci ratio fabularum vitiosarum aut negligentius scriptarum exempla, tamen post illa quae proxima subiiciuntur:

Quantus sit Dossenus edacibus in Parasitis;
Quam non astricto percurrat pulpita socco.
Gestit enim nummum in loculos demittere; post hoc
Securus cadat, an recto stet fabula talo.

de vituperio utriusque poetae nemo, qui sapiat, pot-

est dubitare. Neque qui consideratius legerit Plauti comoedias, immerito hic quidem tangi eum ab Horatio existimabit. — Rursus quae eadem epistola leguntur v. 57 sqq.

Dicitur Afrani toga convenisse Menandro,
Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi,
Vincere Caecilius gravitate, Terentius arte.

falso reprehensionem continere putantur. Refert enim Horatius hominum suo aevo viventium de poetis Romanis antiquioribus iudicia, nimio paene antiquitatis studio facta, atque in singulis poetis quid laudabile potissimum habeatur narrat. — Properare autem Plautus cur dicatur, mihi neque obscurum est, neque dubium. Quamcunque enim considero fabulam, video nulla interposita mora, sed indefesso impetu atque rapido paene nisu ad exitum properari, ut nunquam remittere detur spectatoribus vel lectoribus animum. Quin in sermonibus quoque, atque illis etiam quibus mora interdum imponitur actioni, nescio quam mirari me dico calidiorem rerum agitationem et praecipitem festinationem, quae nusquam patitur consisti, ut nihil rectius dici putem, quam properanter agi omnia. Quare recte Sanadonum Horatii verba explicasse puto.

Hoc igitur verbo quum laudatur, non ab Horatio quidem, sed eius aequalium iudicio, poeta comicus, gravissima, atque haud scio an iniquissima idem laeditur vituperatione, eodem, quem acrem iam ante expertus erat, iudice. Art. poet. v. 270 sqq.

At vestri proavi Plautinos et numeros et

Laudavere sales, nimium patienter utrumque,
Ne dicam stulte mirati; si modo ego et vos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto,
*Legitimumque sonum digitis callemus et aure.**)

Quae si merito atque iure dicta sunt omnia quid causae est, quin e poetarum iam numero Plauti nomen expungamus? Qui enim antea dictus est male tueri partes personarum, eius nunc sales dicuntur inurbani et versus incompositi. Apage istum a me scriptorem.

Non melius sensisse de Plauti poesi Velleius potest videri, apud quem lib. I, 17. instituto scriptorum censu Marci ne mentio quidem facta est: *dulcesque Latini leporis facetiae per Caecilium Terentiumque et Afranium suppari aetate nituerunt.* Mirati hanc oblivionem, quicunque literarum Romanarum peritissimi, atque ingeniorum iudices habentur intelligentissimi, non unam invenerunt, qua et Plauti simul et Velleii causae subvenirent, rationem. Plerique autem cum Lipsio omissum propterea Plauti nomen statuerunt, quod is poetis commemoratis paullo maior sit, nec fecerit ad Velleianae opinionis firmamentum. Quod ego argumentum nullum puto esse. Nam Velleius quum id agat, ut tam apud Romanos, quam apud Graecos una non multorum annorum aetate literas diversorum generum floruisse doceat, ut caetera taceam, historiarum apud Romanos scriptores intra octoginta annorum aevum scripsisse dicit, ipsumque

*) Cf. *Dan. Heinsii ad Horatii de Plauto iudicium dissert.*, qui vir multa inutiliter et a re, multa perverse disputavit.

Livium prioribus adstruit. Comoedia autem Romana a Plauto usque ad Terentii mortem continetur spatio quadraginta aut certe non plus quam quinquaginta annorum, et recte Plautus suppari cum caeteris aetate vixisse dici potest. Quare in Acidalii abire malim sententiam, cuius verba haec sunt: „Caeterum in hoc comoediae censu Plautum non censeri miror, principem non vulgi, sed principum eruditorum sententia, cui quemadmodum multi, sic noster, ut est affectuum varius, saepe in alterutram partem nimius, iniquior fuisse videri potest.“ — Scio quidem nuper virum eruditissimum in censura editionis Orellianae tollere difficultatem omnem conatum esse, loco ita emendato: ut pro Latini leporis scriberet: Plautini lep. Sed quamquam coniecturam hanc fateor esse inprimis ingeniosam, atque in illo scriptore plus etiam critico licere non nescio, tamen nulla ut quidquam mutemus necessitate adigimur. Nam ut condonem viro doctissimo, quod adeo Romanos elegantia caruisse dicit, ut Latinum leporem dicere Velleius ne potuerit quidem, ut hanc inquam nunc quaestionem mittam, primum non quid nostrum quocunque, sed quid Velleio iudice dici potuerit, quaerendum est; deinde vero non est omittendum Graecorum scriptoribus opponi Romanos, unde cur Latinum leporem dixerit apparet. Vellem equidem ita scriptum fuisse, nego deberi, neque miror adeo, quod Velleius, homo delicatior et in scribendo, quantum patitur brevitas, amans ampullas et magnifica verba minoris fecerit Plautum Romana simplicitate loquentem.

Venio nunc ad famosissima Quinctiliani verba: *In comoedia maxime claudicamus. — Vix levem consequimur umbram.* Quae quoniam tota ex comparatione Graecorum poetarum sunt dicta, quorum fabulae interierunt omnes, neque quo iure dicta sint intelligi potest, neque si vera sunt, ut videntur esse, satis causae haberi debent, cur Romanos contemnamus. Potest enim aliquis alio multo esse inferior, et tamen ipse multa laude dignus. Quare ex isto Fabii iudicio nihil consequimur, nisi nunquam satis deplorari posse iacturam fabularum illis, quas novimus, longe etiam praestantiorum. Sed quamquam alii summi nominis viri, ut Varro, Cicero, Plinius, Sedigitus, Stilo plurimis laudibus extulerunt Plautum, tamen repetitae saepius sunt nostris temporibus iniquiores sententiae, novaeque additae non mitiores, quarum auctores nihil refert commemorare singulos, *) quandoquidem in uno scripto congestum habemus et cumulatum, quidquid durius in Comoediam Romanorum eiusque poetam principem dici potuit.

*) Juvabit tamen novisse, quam sapienter Franco-Gallicus quidam versificator de Plauti poesi iudicarit:

Ce comique bouffon, n'en déplaise aux savants,
A son grossier parterre immole le bon sens —
Enfin par un seul trait pour le dépeindre en tout,
Il eut beaucoup d'esprit, peu d'art, et point de goût.

Mirare hominis elegantiam et acumen, digni scilicet, qui novi inter Pana et Apollinem certaminis iudex sit. Quanto rectius ille, cuius unumquodque verbum aurum atque argentum est merum: *Lessing, Von dem Leben und den Werken des M. Accius Plautus. Ders. Kritik über die Gefangenen des Plautus.* Wke. B. 22.

Nam Fridericus a Raumer in iis, quae ad calcem commentationis de poetica Aristotelis scripsit,*) si satis habuisset vindicare recentioris aevi poetis inventionis praestantiam, nemo facile foret, qui contradiceret, quamquam Captivis, Epidico, Bacchidibus, Militi, Pseudolo, Trinummo — Terentii Eunucho atque Andriae eam quoque laudem nemo recte negabit; nunc autem, quum neget proprium quidquam esse Romanis, servis, si Diis placet, Graecorum nescio utrum imitatoribus an interpretibus adeo; quum nihil in sermonibus se invenire dicat leporis, sed verbera frequentiora esse quam verba faceta; quum propter consilii inopiam et rude artis ingenium ad prologorum auxilium Plautum confugisse auctor sit, quumque postulare denique videatur, ut eadem fuerit veterum comoedia morum castitate, qua hodierna, non deerunt fortasse, qui talia scribi potuisse mirentur magis, quam laudent.

At enim ista si refellenda mihi sumerem singula, non magnae quidem res foret operae, verum non maior labore utilitas, nisi simul quo necessitatis vinculo ex Graeca comoedia pependerit Romana accuratius quaeratur, atque veterum quoque iudicia examinentur. Et quoniam laudis atque vituperii neque modus, neque ratio certa potest esse, nisi de auctoritate fabularum antea convenerit, hanc primam disputationis partem esse oportet. Dico autem magnopere eos errare, qui Plautum — de Terentio enim paullo post

*) Abhandl. der Berl. Akad. 1828. Hist. phil. Kl. S. 181 ff.

videbimus — non argumenta tantum, levemque personarum adumbrationem, sed ornatum quoque, et sermonis facetias e Graecis petiisse poetis, atque illos vertisse magis, quam proprii ingenii virtute elaborasse existimant.

Atque ut a levioribus argumentis ad graviora, a singulorum locorum commemoratione ad fabularum inter se comparationem, denique ab iis, quae in ipso Plauto esse videmus, indiciis ad aliorum testimonia pergamus, prima cur Graecarum fabularum interpretem Plautum esse negemus, argumenta petenda sunt e paronomasia atque Romanorum morum frequentissima notatione.

Est autem paronomasia sive annominatio id iocandi genus, quo aut unum vocabulum, diversas habens significationes, ambigue ponimus, ut, quum utrumque intelligi possit, in ipsa ambiguitate sit lusus; aut duas quidem voces, etiam significatu diversas, sed sono similes ita sententiis coniungimus, ut ex comparatione item sit iucunditas. Cuiusmodi sunt illa Plautina: Curc. V, 3, 13.

Delicatum te hodie faciam, cum catello ut accubes;
Ferreo ego dico.

Merc. III, 4, 58.

Edepol nae ille oblongis malis mihi dedit magnum malum.

denique, quod mixtum est genus: Rud. II, 6, 33.

Bonam est quod habeas gratiam merito mihi,
Qui te ex insulso salsum feci opera mea.

Igitur quum totus literarum sono fortuitaque vocum

similitudine nitatur lusus, fieri plerumque non potest, ut salva ioci elegantia aliorum populorum linguis eiusmodi dicta reddantur. Non quidem ignoro, hic in scopuloso admodum difficilique me loco versari, siquidem non plenissimam solum eum oportet habere linguarum scientiam, qui suppetere iocis reddendis vocabula neget, sed ingenium quoque facile, solers et ad facetias promtum. Fit enim interdum, aut quoniam earundem apud diversos populos rerum communis fuit usus, aut quod ex altera in alteram linguam recepta sunt vocabula, aut fortuito, ut paronomasia aliqua non uni tantum linguae sit propria, cuiusmodi est ille Periplectomenis lusus. Mil. glor. II, 2, 9.

Atque adeo, ut ne legi fraudem faciant *) *talariae,*
Accuratote, ut sine talis domi agitent convivium.

Nempe talos defringi Militis servis, senex iusserat, nunc in ambiguitate vocis ludit. Quum vero Graeci non minus quam Romani *ἀστραγάλοις* luserint, potest hoc ex Graeco poeta expressum haberi, quamquam legis talariae commemoratio Romanam originem prodere videtur. Eiusdem generis est locus Pseud. IV, 8, 7.

Superavit dolum Troianum atque Ulyssem Pseudolus.

ubi non possum satis mirari ridiculum editorum errorem, scribentium *Dolum*, atque intelligentium Dolonem, Eumedis filium. Dubium non est, significari

*) Malui servare veterem scripturam, licet versus laboret, quam scribere *fecerint*, cui nescio an hic non aeque, atque in legibus, locus sit.

cum dolos Ulixis omnes, tum equum Troianum, cuius auctor ille fuerat. Ita Odyss. VIII, 492 sqq.

> ἀλλ᾽ ἄγε δὴ μετάβηθι, καὶ ἵππου κόσμον ἄεισον
> δουρατέου, τὸν Ἐπειὸς ἐποίησεν σὺν Ἀθήνῃ,
> ὅν ποτ᾽ ἐς ἀκρόπολιν δόλον ἤγαγε δῖος Ὀδυσσεύς.

et Virg. Aen. II, 264.

> — — — *ipse doli fabricator Epeus.*

Quare mutanda tandem est initialis litera. — Ergo hic ut vocabulorum, ita et ioci linguae utrique est communio. Eadem est sed fortuita in loco Merc. II, 2, 32.

> *Hodie ire in ludum occoepi literarium,*
> *Lysimache; ternas scio iam. — Quid ternas? —*
> *Amo.*

Forte enim fit, ut Graecum verbum: ἐρῶ totidem constet literis. — Neque proprii quidquam est in tali ioco, qualem habemus Mil. I, 1, 13. ubi Martem se servasse dicit Pyrgopolinices *in campis Gurgustidoniis.* Quid enim vetuit Graecos, quin dicerent: ἐν πεδίῳ τῷ Καπηλιδονίῳ (ut ad Romanae vocis similitudinem accedamus), quasi nos dicamus: auf den Feldern von Kneipenhausen. Sed ut concedam, praeter haec exempla alia latere posse minus luculenta ac manifesta, permulta tamen ita sunt latina, ut nulla auctoritatem Plauto eripere possit obtrectatio. Neque paucis tantum, ut fit plerumque, continentur verbis, sed per magnam saepe scenae partem continuantur, ut abesse nullo modo possint. Qua in re quum non leve sit in faciendo de Plauti fabulis iudicio momentum, exemplis rem muniam et comprobem; sed quoniam non

pauci ex illis locis aut obscuriores sunt, aut etiam corrupti, simul explicare difficiliora aut emendare vitiosa liceat. Initium faciam a Captivis, fabula elegantissima, quam Plautus ipse ab arte et argumento in Prologo commendavit. Ibi igitur in ipso principio Ergasilus solito parasitorum more ridicula iactat:

Juventus nomen indidit Scorto mihi,
Eo, quia invocatus soleo esse in convivio.
Scio absurde dictum hoc derisores dicere;
At ego aio recte. Nam in convivio sibi
Amator talos quom iacit scortum invocat.
Estne invocatum, an non? Est planissume.
Verum hercle vero nos parasiti planius,
Quos nunquam quisquam neque vocat, neque invocat.

Num elegans dici debeat hic lusus, non est hujus capitis quaestio; id certissimum est, non Graeco deberi poetae, quum totus versetur in duplici significatione vocis *invocatus.* Sed reliqua quoque scenae pars ita intexta quasi est iocis ad rem Romanam spectantibus, ut Romanum ingenium atque opus facile cognoscas. Deinde proxima scena v. 55 sqq. lamentanti parasito, quod post abitum Philopolemi remissus sit edendi exercitus omnesque fugitent ducis provinciam, respondet Hegio:

Non pol mirandum est, fugitare hanc provinciam.
Multis et multigeneribus opus est tibi
Militibus: primum dum opus est Pistorensibus.
Eorum sunt genera aliquot Pistorensium:

Opus Paniceis est, opus Placentinis quoque;
Opus Turdetanis; opus Ficedulensibus;
Jam marituimi omnes milites opus sunt tibi.
Erg. Ut saepe summa ingenia in occulto latent!
Hic qualis imperator nunc privatus est.

Quae nomina nusquam nisi Romae ridicula poterant esse. In eadem scena lepida est inter senem stipulatio ac sponsio. v. 71 sqq. quem locum Pareus ita edidit:

— — — Heg. Quia mihi est natalis dies.
Propterea te vocari ad coenam volo.
Par. Facete dictum! Heg. Sed si pauxillum potes
Contentus esse. Par. Ne perpauxillum modo;
Nam istoc me assiduo victu delecto domi. —
Heg. Aie sis, roga. Par. Emin'tu? Heg. Nisi qui meliorem adferet.
Par. Quae mihi atque amicis placeat conditio magis?
Quasi fundum vendam meis me addicam legibus.
Heg. Profundum vendis tu quidem, haut fundum mihi.

Est tamen ibi absurdissima personarum distributio, neque in Pall. est *emin'tu*, sed *emtum*, sc. *tibi*, quod unice verum est, non enim emit Parasitus, sed vendit, ipsum se Hegioni addicens. Unde recte locum restituit Salmasius:

Heg. Age sis, rogo. Par. Emtum, nisi qui meliorem adferet,
Quae mihi atque amicis placeat conditio magis.

Fortasse tamen servari potest imperativus, ut omnia sint Parasiti confidenter rogare senem iubentis. Emtum enim fore, quamquam sub conditione. Est autem duplex, cur Plauti haec esse debeant causa, altera ex iure, altera e paronomasia. — Tenuis annominatio, sed non minus Latina est act. IV. sc. III.

Quanta pernis pestis veniet, quanta labes larido!
Quanta sumini absumedo, quanta callo calamitas!

Paullo post tamen egregie:

Nunc ibo ut Praefecturam et ius dicam larido,
Et quae pendent indemnatae pernae eis auxilium ut feram.

quorum versuum prior est lacunosus. Puto excidisse *agam* vel *geram* ut Stich. II, 3, 29. *aedilitatem gerere.* — Est autem faceta admodum litium pendentium commemoratio.

Ne vero quis arbitretur in solis parasiti partibus tales iocos spargi; non minus elegans est ambiguitas III, 4, 45 sq.

Ar. Quid ais, furcifer? tun' gnatum memoras esse liberum?
Tgn. Non equidem me Liberum sed Philocratem esse aio.

II, 2, 86.

Tam hoc quidem tibi in proclivi, quam imber est quando pluit.

I, 2, 12.

Lor. Si non est, quod dem, mene vis dem ipse in pedes?
Heg. Si dederis erit extemplo mihi quod dem tibi.

Rursus Ergasilus, IV, 2, 80.

— — — *Erg. Di omnes te adiuvant. Heg. Nihil sentio.*

Erg. Non enim es in senticeto, eo non sentis.

atque ib. v. 107.

Erg. Sed Stalagmus quoius erat hunc nationis, quom hinc abit.

Heg. Siculus. Erg. At nunc Siculus non est. Boius est, boiam terit.

atque alia, quae singula recensere longum est. E Curculione duos commemoro locos, quorum alter est lepidissimus, II, 3, 35. Adveniens e Caria Curculio inedia et lassitudine animo male esse simulat, Phaedromus autem et qui praeterea adstant nugatorem pro aegro et deficiente curant tractantque. Hinc ridiculus error.

— — *Cur. Obsecro, hercle, facite, ventum ut gaudeam.*

Ph. Maxume. Cur. Quid facitis, quaeso? Ph. Ventum. Cur. Nolo equidem mihi

Fieri ventulum. Ph. Quid igitur [vis]? *Cur. Esse, ut ventum gaudeam.*

Alter locus sordidus est, neque tamen ex ipsis sordibus argumenta petere piget. Legitur act. III, 29 sqq.

Cur. Adolescens ob rem publicam hoc intus mihi
Quod insigne habeo, quaeso ne me incomities.
Len. Licetne inforare, si incomitiare non licet?
Cur. Non inforabis me quidem, nec mihi placens
Tuum profecto neque forum neque comitium.

Pauca de scriptura addam. Quod enim in v. 29. legitur, *intus*, omnibus paene editoribus vitiosum est visum, ut coniicerent: *incussum; ictus; ulcus; inustum.* Denique Gronovius „Qui nescit, ait, cur interpretes haeserint, et *intus mihi* nihil aliud esse pronunciat, quam in me, in ore meo, vellem huius generis loquendi aliquod exemplum afferre dignatus esset.“ Coniecit igitur *virtutis.* Facile est respondere, neque vitium suspicati forent vv. dd. si cogitassent sycophantam falso ornatu et capitis integumento venire. Quo minus igitur cognosceretur a Lycone et lenone, altero oculo operto simulabat se unoculum esse, quemadmodum Mil. IV, 4, 42. et IV, 7. Pleusides culcitam ob oculos habet laneam. Est igitur *intus* i. q. sub culcita. Alioquin absurdissimum foret, personam fabulae temere facere luscam. — Deinde v. 31. ne quis propter metrum vitiosum putet esse. Corripitur enim prima v. *incomitiare.* Asin. II, 3, 25.

Siquidem hercle Aeacidinis minis animisque expletus incedit.

Merc. III, 4, 15.

Tristis incedit. pectus ardet; haereo. quassat caput.

ib. IV, 4, 33.

Cur hic astamus? Quin abimus? Incommodi etc. atque ita saepius. — Mira elegantia est atque ex ambiguitate lepos in loco Mil. IV, 7, 23 sqq.

Pyr. Quid istuc? quaeso. Quid oculo factum est tuo?
Pl. Habeo equidem hercle oculum. Pyr. At laevum dico. Pl. Eloquar.
Maris causa hercle istoc ego oculo utor minus;

Nam si abstinuissem amare, tamquam hoc uterer.

Item Amph. I, 1, 145.

Merc. Agite pugni. iam diu est, quod ventri victum non datis.
Jam pridem videtur factum, heri quod homines quatuor
In soporem collocastis nudos. So. Formido male,
Ne ego hic nomen meum commutem, et Quintus fiam e Sosia.
Quatuor viros sopori se dedisse hic autumat;
Metuo ne numerum augeam illum.

et Most. IV, 4, 51.

Theur. Puere, iamne abis? Libertas paenula est tergo tuo.
Phan. Mihi, nisi herum (meum) ut metuam et curem, nihil est, qui tergum tegam.

Quamquam in postremo loco, non intellexerunt commentatores, quam facete luserit poeta. Lambinum enim secuti ita verba explicant, quasi dicat Theuropides, Phaniscum tam paenula, quam libertate carere. Satis ineptum hoc foret. Id vult: Phanisci tergum liberum esse paenula, i. carere veste; quemadmodum apud Val. Flacc. III, 470. *liber amictu Eurytus.* atque alia similia. De paenulae usu servis cum dominis communi vid. Lips. El. I. 25. — Sed ne rari hujusmodi lusus per fabulas sparsi dicantur, quoniam adscribi ipsis verbis ingens numerus non potest, vid. Bacch. I, 1, 21. II, 3, 50. ib. 75. ib. 128. IV, 8, 19. Poen. I, 2, 67. ib. 79. ib. 112. III, 4, 19. V, 2, 8. Mil. II, 3, 8. II, 6, 104. III, 1, 88. V, 23. atque alia in-

numera. Accedit aliud iocorum genus, quod est in similitudine vocis cum bestiarum voce ut Menaechm. IV, 2, 90.

Egon' dedi? — Tu, tu istic inquam. vin' afferi noctuam,
Quae tu, tu usque dicat tibi? —

aut in numero literarum, ut Trin. II, 2, 64.

Pol pudere quam pigere praestat, totidem literis.

quam enim ibi Lindemannus dedit explicationem: *per omnes literas melius est*, ea falsa est. Tum enim non *totidem*, sed *singulis literis* erat scribendum. Numerum literarum significari dubium esse non potest. Dictum est, quasi nostrum quis dicat: Schaemen ist besser als graemen; das reimt sich. ubi homoeoteleuto nihil aliud significatur, quam affinia aliqua ratione esse vocabula. Igitur *totidem literis* est: bei gleicher Buchstabenzahl. Hinc solent sibi opponi apud Plautum haec verba. Capt. II, 1, 9. Pseud. I, 3, 47. et similiter ludit poeta in verbis *pudere* et *lubere*. Merc. I, 1, 60.

Sed quam frequens sit apud Plautum paronomasia, longe tamen eam numero anteit Romanorum morum rerumque commemoratio et notatio. Harum tamen rerum nihil censor ille Plauti rigidissimus animadvertisse videtur, praeter magistratuum et locorum hic illic commemorationem. Quasi vero non refertae atque intextae sint omnes Plauti fabulae iis sermonibus, qui nisi a Romano homine haberi a nemine potuerunt. Non ego argumenta petam ex eiusmodi scenis, qualis est Curc. IV, 1. Quam enim ibi chora-

gus Romae facit descriptionem, quum inter actus pronunciata fuerit, neque fabulae pars sit, a quocunque potuit inculcari. Id unum moneam, ineptissime facturum fuisse Plautum, si Aul. III, 5. et Epid. II, 2. Graecarum non Romanarum mulierum ornatum notasset et Mil. III, 1. ac Trin. IV, 3. alienos, non sui populi mores pinxisset. Non magis, hercle, probatus fuisset Romanis, quam Graecis Aristophanes Aegyptios pro Atheniensibus vel Lacedaemoniis ridere ausus. — Nam singulos me recensiturum locos, quibus Romanarum rerum fit mentio, quis exspectabit? delectum autem quominus habeam, dehortantur me verba poetae:

τί πρῶτόν τοι ἔπειτα, τί δ᾽ ὑστάτιον καταλέξω;

Sed tamen ut intelligatur, cuiusmodi locos dicam, unum saltem apponere liceat. Truc. I, 2, 34 sqq.

Ast. Nimis otiosum arbitror hominem esse te. Din. Quianam arbitrare?
Ast. Quia tuo vestimento et cibo alienis rebus curas.
Din. Vos me reddidistis otiosum. Ast. Quid iam, amabo? Din. Ego expedibo.
Rem perdidi apud vos. cum re meum negotium abstulistis.
Si rem servassem, fuit ubi negotiosus essem.
Ast. An tute bene rem publicam aut amoris, alia lege
Habere posse se postulas, quin tu otiosus fias?
Din. Illa, haud ego, habuit publicum. pervorse interpretaris.
Nam advorsum legem a me ob meam scripturam pecudem accepit,

Aeraque. Ast. *Idem, quod tu facis, faciunt rei*
male gerentes.
Ubi non est scripturam unde dent, incusant publicanos.
Din. *Male vortit res pecuaria mihi apud vos; nunc vicissim*
Volo habere aratiunculam pro copia hic apud vos.
Ast. *Non arvus hic, sed pascuus est ager. si arationes*
Habituris, qui arari solent, ad pueros ire melius. etc.

V. 36. leg. aut: *Quid amabo.* aut: *Qui, amabo.* v. 39. l. *An tu te bene r. p. — habere posse post.* v. 48. *qui solent arari.* aegre enim defenditur hiatus versu Terentii, Hec. III, 5, 46. *Mane, inquam. quo abis?* — Vides Romana esse omnia. Primum enim respicit illam populi opinionem, ex qua omnis quaestus Patribus, quippe qui rem publicam administrarent, indignus est visus. Non negotiosos igitur sed otiosos esse oportebat. *) Deinde qui sequuntur versus toti e ve-

*) Egregie rem expedivit Gronovius, comparato Livii loco qui legitur l. XXI, 63. *ne quis senator, quive senatoris pater fuisset, maritimam navem, quae plus quam trecentarum amphorarum esset, haberet. Id satis habitum ad fructus ex agris vectandos. Quaestus omnis Patribus indecorus visus.* Hanc legem Plautum respexisse eo verisimilius est, quod sub ipsam eius aetatem a Q. Claudio lata fuerat. Eandem legem non abrogatam, sed gliscente iam licentia neglectam Cicero dicit Verr. V, 18. *Noli metuere, Hortensi, ne quaeram, qui licuerit aedificare navem senatori? antiquae sunt istae leges et mortuae, quemadmodum tu soles dicere, quae vetant. Fuit ista respublica quondam, fuit ista severitas in iudiciis, ut istam rem accusator in magnis criminibus obiiciendam putaret.* Et paullo post: *Ne il-*

ctigalium apud Romanos generibus, scriptura e saltibus, decumis ex arationibus, explicandi sunt. Quid ego referam, quoties a re militari, non exterarum quidem nationum, sed Romana orationis colorem mutuatus sit, sui temporis facta tetigerit, vicinas gentes riserit, ut Trin. III, 1, 8. *Tam modo, inquit Praenestinus.* Truc. III, 2, 20.

Str. Rabonem habeto, mecum ut hanc noctem sies.
Ast. Perii! rabonem? quam esse hanc dicam belluam?
Quin tu arrabonem dicis? Str. Ar facio lucri;
Ut Praenestinis conia est ciconia.

vel Mil. III, 1, 53.

Post Ephesi sum natus, non enim in Apulis, non sum Animulae.

Cist. II, 3, 20.

— — — non hic ubi ex Tusco modo
Tute tibi indigne dotem quaeras corpore.

Trin. II, 4, 141 seqq.

Tum autem Syrorum genus quod patientissumum est
Hominum, nemo exstat, qui ibi sex menses vixerit.
Ita cuncti solstitiali morbo concidunt.
Ph. Credo ego istuc, Stasime, ita esse; sed Campas genus
Multo Syrorum iam anteit patientia.

Acerba infelicium Campanorum irrisio, qui paullo ante in servitutem divenditi fuerant.

lud quidem quisquam poterat suspicari te habere in Italia maritimum fundum, et ad fructus deportandos onerariam navem comparare.

Jam vero, quamquam tantus est horum locorum numerus, ut si quis tollere eos velit, lacerae forent et nudatae ornatu suo omnes fabulae, ponamus tamen, haec omnia, quae Graecorum poetarum esse non possunt, a Plauto, quasi pannos alienae vesti, esse assuta: quid? fieri posse putas, quin oratione ac stilo differant, quin Romanum inter Graecos lepores ingenium prodant? Quae diversitas ubi est? — Velim mihi monstrentur vestigia locorum, quibus relicto Graeco exemplo ad sua deflexerit poeta Romanus. Igitur aut apprime simili fuit ingenio Plautus, ac Graeci, quorum vertisse fabulas dicitur, poetae, quod si fuit, non opus erat illis exemplis, aut argumenta fabularumque fere *οἰκονομίαν* Graecis debuit, in sermonibus proprio usus est ingenio. Utrum commodum est? Elige. — Scio paucos esse versus Cistellariae, act. I, 1, 91 sqq. e Menandri fabula vere expressa (vid. Meineke, Men. et Phil. rel. p. 208). Primum autem ii toti ad argumentum pertinent, nec poterat aliam ibi rem narrare Plautus, quam id factum, quod fabulae fundamento quasi esset. Sic Curculionis quoque versus act. V, 2, 45 sqq. et Menaechm. act. V. scenae IX partem e Graecis expressam esse probabile est. Deinde vero, ne quis tam inepte me statuere arbitretur, ut obstinate repudiasse Plautum, quidquid dictum esset a Graeco poeta, dicam, quum addixisse se Graeco exemplari negem, quo uteretur quoties visum esset.

At vero, quum vel sic satis certum videri debeat, Plautum argumenta, sive fabularum adumbrationem personarumque lineamenta a Graecis accepta ita

tractasse, ut nova specie pro diverso ingenio prodirent comoediae, multo id rectius intelligitur comparatione fabularum inter se facta, quandoquidem mira est in omnibus stili non similitudo, sed congruentia, unus orationis color, eadem iocorum protervitas, eadem in re seria gravitas, eadem de vita rebusque summis existimatio. Nam si unius Graeci poetae fabulas reddidisset Plautus, non miraremur hunc consensum; nunc autem, quum Philemonis, Diphili, Menandri, Theogneti aliorumque comoedias vertisse, simul autem ad Epicharmi exemplum se conformasse dicatur, fieri posse putas, ut unum omnes referant vultum et colorem? — Quatuor Menandri fabulas reliquas nobis fecit Terentius; unam certe Apollodori *). Non, ubi perlectis illis ad Phormionem veneris, fateberis, eam a caeteris nonnihil differe? aliam videri vitam ac disciplinam? diversum poetae ingenium? Quin etiam illa Adelphorum pars, quam e Diphili *Συναποθνήσκουσιν* in suam transtulit, ab aequabilitate totius fabulae mirum quantum discrepat, atque inter reliqua est insignis. Poeta enim in caeteris Menan-

*) Hecyram quo saepius legi, eo magis addubitavi, utrum Phormioni eam, an Menandreis propiorem dicam. Scio Apollodoro tribui a Donato. Attamen quum Sidon. Apoll. ep. IV. 12. Menandri *Ἐπιτρέποντας* similis argumenti fuisse narret. quare ipse utriusque lectionem comparaturus coniunxerit, fecit fortasse Terentius, quod et alibi factum videmus, ut ex altera in alteram, quae aptiora viderentur, transferret atque inde fortasse factum est, ut in didascalia sit scripturae diversitas. In aliis enim codd. et editionibus (ut Faerni. Parei. Bentleii) est *Graeca Menandru*, in aliis (Lindenbrogii, Westerhovii) *Graeca Apollodoru*

dri premens vestigia ita Diphilo usus est, ut *verbum verbo redderet.* — Non aeque Plautum fecisse credam, cujus rude servitii ingenium non videtur pati potuisse molestum interpretis iugum, neque impetrasse a se, ut semita alienis vestigiis signata incederet. Fecit igitur id, quod Molierium fecisse videmus, qui integris Aululariae Plautinae scenis usus est pro suis, quas tamen ita suo duce ingenio retractavit, ut nihilo minus ipsius esse recte dicantur.

Neque vero Terentius haberi potest servus Menandri interpres; ipse enim in prologis aperte indicium fecit, qua licentia usus sit et ipse, et alii poetae Romani, quum ad Graeca exempla suas concinnarent fabulas. Nam quum vituperatus fuisset a vetere poeta, quod contaminasset fabulas, in prologo Andriae fatetur e Perinthia in Andriam se transtulisse, quae convenerint. Num igitur forte persuadebimus nobis tam congruas fuisse fabulas, ut quoties luberet ex alterutra scenas adsciscere licuerit, e quibus nova componeretur comoedia; an ita potius existimemus: res ipsas ac sententiarum summam collegisse poetam Romanum, in componenda fabula liberius versatum esse? — Quid? Diphili scenas integras quum Adelphis insereret, num fieri potuit, quin ipsa Menandri fabula multum immutaretur? Recte enim Meinekius l. l. p. 1. monuit, illud Aeschini factum tam necessario cum tota actione coniunctum esse vinculo, ut nisi cum magno fabulae detrimento ab ea divelli non posse videatur. Statuit igitur in Menandri Adelphis similem fuisse locum. Audio. Fuerit

haec inter fabulas similitudo, immo communio.*) Illud tamen virum eruditissimum praeteriit, Plautum certe cum Diphili Συναποθνήσκοντας verteret, id ipsum facinus avulsisse. *Integrum* enim *reliquit locum.* Quid autem causae est, cur minus late per Diphili comoediam radices egisse putemus illam totius argumenti quasi stirpem.

Sunt isti Terentii loci ad faciendum de comoedia Romana iudicium apprime utiles, sed longe tamen memorabilior est prologus Eunuchi, cuius vv. 25—34. optime declarare videntur, quae fuerit Romanorum in imitandis Graecis ratio ac modus. Etenim Eunuchum quum editurus esset poeta, Luscius Lanuvinus perpetuus eius obtrectator eam sibi inspiciundi fecerat copiam, furtique Terentium incusaverat, qui parasiti et militis personas e Latinis fabulis abstulisset.**)

*) Neque tamen satis, cur ita arbitremur, in Donato causae esse videtur. Nam quum dicit: *secundum illud Menandri* etc. ne hoc quidem satis liquet, utrum Adelphorum, an alius fabulae versum laudaverit. Ex ipso autem versu, quo quingentos colaphos se perpessum homo dicit, nemo divinabit, qualis fuerit Menandri fabula. In altero vero loco, ubi ad act. II, 4, 10. ita scribit: *Menander mori illum voluisse fingit, Terentius fugere.* neque cum Lessingio velim Diphili nomen pro Menandri nomine substitui, neque tamen e Menandro hunc locum expressum esse debere mihi persuadetur. Ita sane comparatam fuisse oportet Menandri fabulam, ut alter fratrum graviter afflictus mori quam vivere mallet, alterius autem beneficio servaretur. Potuit vero alia esse, cur mallet, causa.

**) E Naevii et Plauti Colace. De scriptura loci post ea, quae contra Bentleium verissime disputavit Hermannus, (De Rich. Bentleio eiusque editione Terentii.) ego si disserere vellem, rem actam agerem. Est tamen, quod praeterire nolim.

Ei respondet poeta, peccatum id esse imprudentia. Ex Graeca enim se personas in Eunuchum transtulisse. Verba haec sunt:

Colax Menandri est, in ea est parasitus Colax
Et miles gloriosus: eas se non negat
Personas transtulisse in Eunuchum suam.
Ex Graeca; sed eas fabulas factas prius
Latinas, scisse sese, id vero pernegat.
Quod si personis iisdem uti aliis non licet
Qui magis licet currentes servos scribere,
Bonas matronas facere, meretrices malas,
Parasitum edacem, gloriosum militem etc.

Ergo Terentius quum Eunuchum Latinam faceret, non partem Colacis sed personas in eam recepit duas. Usque ad act. II, 1, 21. pleraque Menandri esse credam, et testantur hoc verba Donati, locum indicantis, ubi ad Colacem poeta deflexerit. Etiam illud concedam scenae insequentis partem ad v. 34. us-

Terentius parasito nomen Colaci fuisse testatur: apud Plutarchum vero de adul. p. 57. et in ipso Menandri fragmento (vid. Mein. p. 99.) Struthiae nomen est. Quem dissensum tacite tollere voluisse videtur Meinekius, litera initiali mutata. Edidit enim: *in ea est parasitus colax.* Mihi vero vix credibile videtur, Terentium hoc Graeco nomine usum esse pro adiectivo, quod si fecisset, inepte fecisset. Spectatores enim nomen proprium esse haud dubie existimassent. — Quid igitur fiet? — Meursii coniecturam pro *Κολακείᾳ* ad Stob. X. p. 127. Gesn. scribentis: *Κόλακι ά.* commemoravit Mein. p. 102. cui non displicuit; nisi neminem de duplici fabulae recensione prodidisse. Fateor me quoque de duplici Colace iuxta ignarissimos esse, neque tamen inutilem esse duxi quaestionem: num forte in nominis diversitate aliquid sit indicii? —

que e Colace esse translata; deinde vero, quum rivalem Phaedriae Thrasonem fecerit Terentius, atque utriusque, tam parasiti, quam militis personae cum ipsa actione ita sint coniunctae et quasi implicitae, ut iis sublatis reliquae partes nullis iam vinculis contineantur, sed tanquam naufragae navis tabulae differantur, quis non videt, ita poetam Colace usum esse, ut eodem ingenio, eademque disciplina fingeret parasitum et militem, sermonibus autem, ut ab argumento Eunuchi alienis, aut omnino non, aut parcius uteretur. — Ac ne illud quidem omittendum est, quum nusquam fere Terentius rerum Romanarum mentionem faciat, id eum fecisse in partibus Thrasonis. act. IV, 7, 11 sqq.

Thr. Tu hosce instruc. hic ego ero post principia;
inde omnibus signum dabo.
Gn. Illuc est sapere! ut hosce instruxit, ipsus sibi
cavit loco.
Idem hoc iam Pyrrhus factitavit.

Nam Terentii haec esse Pyrrhum irridentis, quod gratum foret Romanis, certissimum est. Menandro, etiam si satis memorabilis fuisset illo tempore Pyrrhus, nulla fuisse videtur causa, cur eum potissimum notaret. cf. Boettig. Spec. Exc. I. Opusc. p. 264 sqq. — Hinc intelligitur, cur satis se purgare ab istis calumniis Terentius crediderit, si moneret populum, licere iisdem uti personis, quibus alii usi sint. Fabulas autem si quis dare velit, quae iam

factae sint Latinae, id recte fieri ipse negare videtur.*)

Dixi de Terentio; redeamus ad Plautum. Magnum enim argumentum in eadem, de qua modo dixi, fabula puto esse, quo meam de Plauti poesi sententiam confirmem. Nam quicunque Thrasonis Terentiani memor legerit Militem gloriosum, eum non puto fugere potuisse, quanta sit in militum personis similitudo. Alter alterius est speculum, neque lac lacti, aquam aquae similiorem esse dicerem, nisi Terentius elegantius lusisset, Plautus aliquanto pinguius. Thraso enim maxime ridiculus est, dum facetus vult esse; Pyrgopolinices dum fortitudine et factis gloriatur. Caeterum uterque aeque elephanti corio circumtentus est; stolidi, inficeti, divitiis superbi, vani, gloriosi. — Praeterea eadem est parasitorum similitudo. Non ridentur a regibus suis, sed *ultro iis adrident*, et quemadmodum Gnatho ventris causa *imperavit sibi*, *omnia*, *adsentari*, ita Artotrogus ait v. 33.

Venter creat omnes has aerumnas. auribus
Peraudienda sunt, ne dentes dentiant;
Et assentandum est, quidquid hic mentibitur.

Itaque alter dicta et elegantiam, alter facta et fortitudinem regis miratur; uterque ultro irridet.

Quod quum diu animo perpendissem, atque intel-

*) An vero propter hunc sui iudicii usum Julius Caesar Terentium dixerit *dimidiatum Menandrum*, ut voluit Meinekius (de vita Menandri. p. XXXVI.), vehementer dubito. Manifestum enim est e reliquis epigrammatis versibus, id dixisse Caesarem: *puro sermone* Terentium aequalem esse Graeco poetae; non item *vi ac virtute comica*.

ligerem, scenam primam Militis gloriosi ab Eunuchi act. III. sc. I. ad summam non differe, sermones tamen alterius Atticum, alterius Romanum prodere ingenium, magis magisque mihi persuasi, ut ad unum exemplum utramque factam crederem. — Non equidem dico, Militem gloriosum eandem fuisse fabulam, quam Colacem. Nam quamquam a quatuor qui de Colace reliqui sunt versibus non satis firmum peti potest argumentum, et mutata interdum esse nomina fabularum Casinae et Poenuli exempla docere videntur, tamen Plautus ipse indicavit, quod Graecae fabulae nomen esset:

Alazon Graece huic nomen est comoediae.

atque e Colace Menandri commemorantur personae, quas non solum frustra in Milite quaeres, sed quae longe aliud fuisse argumentum docent. — Ita potius existimo, eandem quam e Menandro dedit Terentius, scenam Plautum Militi suo adiunxisse. Vide enim quam laxo vinculo praemissa ipsi prologo scena cum reliqua fabula coniuncta sit. Parasitus, cui non ultimas partes datum iri exspectaveris, semel hic in scenam prodit. Mox ad Seleucum regem missus dicitur; nimirum quia tota eius persona ab argumento fabulae est alienissima. Palaestrio enim assentatoris partes agit, quo militem fallaciis suis irretire possit. Parasitus autem illorum consilia perspexisset. — Puto in prima archetypi scena Pyrgopolinicem cum Palaestrione esse collocutum, Plautum illam praetulisse scenam.

Haec si probabiliter disputavi, satis exploratum videtur, Plautum in nullius se Graeci poetae servitu-

tem addixisse, sed in argumentis retractandis propria ingenii virtute elaborasse. Atque hoc non iis tantum argumentis, quae ex ipsius fabulis petii, sed aliorum quoque veterum scriptorum iudiciis confirmatur. Quid enim? Quum scribit Horatius poetam male tutatum esse partes epheborum amantium, senum attentorum et lenonum, quid, obsecro, ipsum vituperat? Quin potius Philemonem, Diphilum caeterosque incusat, quos ille auctores habuit? Aut quum inurbanos vocat iocos Plautinos, non Graecae comoediae hoc foret opprobrium, cuius interpres, si diis placet, Sarsinas fuit? — At fuerunt alii, qui magnifice Plautum laudarent. Cic. Off. I, 19. *Duplex omnino est iocandi genus: unum illiberale, petulans, flagitiosum obscoenum; alterum elegans, urbanum, ingeniosum, facetum. quo genere non modo Plautus noster et Atticorum antiqua comoedia, sed etiam philosophorum Socraticorum libri referti sunt.* Varro ap. Non. d. var. signif. serm. v. Poscere: *In argumentis Caecilius poscit palmam, in ἤθεσιν Terentius, in sermonibus Plautus.* Mirum vero, iuxta Graecae comoediae iocos laudari Plautinos, nisi ipsi proprii sint; mirum sermonibus eum praestitisse, quum eorundem, quorum caeteri, poetarum scripta vertisse dicatur. — Quare si quis eatenus Plauti fabulas Graecas dicat, quod ex imitatione Graecorum paene omnis fluxit poesis Romanorum, neminem unquam animum induxisse credam, ut rem certissimam negaret; si ultra eo usque progrediatur, ut expressas e Graecis fabulis arbitretur, eum oscitanter Plautum legisse, immo vix strictim attigisse dicam.

At obiiciat mihi fortasse aliquis, ipsum poetam in prologis profiteri, *vertisse* se Graecas comoedias. Non nego. Latinas enim fecit; sed quotam sermonum partem e Graecis servaverit, isto verbo non indicatur.

Argumenta autem Graeca cur in scenam mittere mallent poetae Romani, non unam puto fuisse causam. Nam ut omittam, populum in inventione non admodum felicem, et qui vix prima elegantioris studii rudimenta posuisset, non potuisse utilius quidquam facere, quam ut sequeretur egregia Graecorum exempla: ipsa hilaris huius populi vita, lepidi et elegantes mores multo magis idoneam fabulis praebebant materiam, quam rigidum et austerum Romanorum ingenium, militiae et rei publicae intentorum. Liberior ibi iuvenum vita; ibi blanda meretricii amoris consuetudo, eo amabilior, quo minus neque mulieri, neque adolescenti turpis habebatur; ibi senes lepidi et faciles, parasitorum grex ridiculus, omnis denique, cuius indigebat poeta, materiae ubertas. Atque ipsi Graeci quae sibi sumserunt agendis fabulis loca? Non Spartam et quarum severior esset disciplina urbium, sed Athenas fere (Prol. Menaechm. v. 8.) aut Joniae urbes, aut cuius civitatis lepidiores essent mores. Satis hoc unum puto causae fuisse, ut non multum placerent togatae, nisi nomine magis quam re essent Romanae.

Accedit, nisi fallor, alia causa in ipso poesis genere quaerenda. Nam quum is debeat esse comoediae finis, ut effictos nostros mores in alienis perso-

nis expressamque imaginem nostrae vitae quotidianae videamus (Cic. p. Rosc. Amer. 16.) quumque ridicula maxime sectetur, non miror, Romanos sedulo cavere solitos, ne quid minueretur nominis Romani maiestas, etiam ubi ipsorum mores notabantur, maluisse eos in Graecis rideri personis, praesertim quum artem ludicram diu probro duxerint. cf. Cic. fgmta de rep. IV, 10. Et narratur Naevius, quia inclementius dicta in cives Romanos iactaverat, in custodiam publicam traditus esse, quo spectare videntur verba Plauti Mil. II, 2, 56 sq.

Transeo ad alteram partem, in qua licet mihi breviori esse, quoniam minus hic demonstrationi locus datur. Quaeritur enim, quid laudis meruerit Plautus scribendis fabulis? — Fateor autem, non satis mihi liquere, utrum quae super hac re disseruit Raumerus in unum magis Plautum sint dicta, an in omnem veterum comoediam. Nam si posterius fuit consilium, non praetereundus silentio erat Terentius, qui a vitiis istis plerisque purus est; sin prius, non imputandum erat Plauto, quod non solum in comoedia, verum etiam in tragoedia communi usu fuit receptum. Cuiusmodi est, quod ante aedes agi totam fabulam improbat. Non nego, ridiculum ac paene ineptum esse, quod in platea fit sortitio, (Cas. II, 6.) quod Alcesimarchus iamiam gladio se percussurus egreditur ante fores, (Cist. act. III.) quod in platea agitantur convivia, (Most. I, 3. fin. et 4. Pers. V, 1. Stich. V, 4.) quod concilium secretum habituri ante aedes conveniunt, prospectante Palaestrione, *ne uspiam insidiae*

sint, (Mil. III, 1.) denique puerperam adeo ante fores cubare. (Truc. II, 5 — 8.) Non laudô, sed excusatur tamen scenae veteris simplicitate, quam si exprobrare velis poetae, inique feceris. Terentius quidem in Andria maxime et Eunucho multa arte, ne quid inde esset offensionis cavit, at is ab eiusmodi argumentis abstinuit. Caeterum veteres eidem scenae faciei assuetos minus offendisse in ista loci et actionis discrepantia credibile est, quam nos, qui mobilibus variisque scenae formis assuevimus.

Exprobrantur autem Plauto alia quoque, quae ad inventionem pertinent, vitia. Dicitur enim misero prologorum auxilio usus esse, quia exordiri recte fabulas nesciverit. Magnum sane vitium, tardique simul et rudis ingenii signum. Nihil enim absurdius, quam quae agi ante oculos spectatorum debent, ea narrari, sive a persona aliqua fabulae, sive a singulari narrentur. Videamus igitur, quatenus hanc in se culpam admiserit Plautus.

Primum septem fabulae carent prologo: Curculio, Epidicus, Bacchides, Mostellaria, Pseudolus, Persa, Stichus. Asinariae et Trinummo praefixi sunt prologi, non tamen quibus argumentum exponatur, sed fabulae nomen pronuncietur, quare in eodem genere sunt numerandae. Qui restant undecim prologi, incertum admodum est, an a Plauti manu omnes profecti sint. Casinae prologum ipsi versus 5 — 20 indicant aliquanto post illius aetatem factum esse. Maxime memorabiles sunt versus:

Nam nunc novae quae prodeunt comoediae,

Multo sunt nequiores, quam mummi novi.
Nos postquam populi rumorem intelleximus,
Studiose expetere vos Plautinas fabulas,
Antiquam eius edimus comoediam,
Quam vos probastis, qui estis in senioribus;
Nam iuniorum qui sunt, non norunt, scio;
Verum ut cognoscant dabimus operam sedulo,
Haec quum primum acta est, vicit omnes fabulas.
Ea tempestate flos poetarum fuit,
Qui nunc abierunt hinc in communem locum.

Suspicor et alios quosdam non esse Plautinos; sed habeas tibi: sunto. Tu, qui Plautum ingenii inopia confugisse ad prologos dicis, omitte legere, abiice, dele. Num minus recte procedit fabula? num minus, quid agatur, intelliges? Nisi forte in Aulularia desiderabis eius rei narrationem, quae nisi Lari, nota esse poterat nemini; aut in Mercatore, quam ego fabulam omnium minime Plauto dignam esse censeo. Quodsi alicubi rerum ante actionem ipsam fabulae actarum indicio opus esse videatur, non putas tribus verbis commodo loco fieri potuisse? — Quid? Epidici, Bacchidum, Mostellariae, Pseudoli, Persae non multo maiore arte facta esse concedes exordia, — expositiones nos fere dicere consuevimus — quam vel Terentii longas illas in principio Andriae, Heautontimorumeni, Phormionis narrationes?*)

*) Operae pretium erit comparantibus Molierium, quem Raumerus exemplo esse voluit. Magni facio huius viri comoedias atque celeberrimam illam simulatae pietatis irrisionem (*Le Tartuffe.*) opus omnibus numeris absolutum habeo. Nihilominus ille in duabus, praestantioribus fabulis, quarum

Quid igitur impulit Plautum, ut quum ipsi sermones rem satis declararent, prologos tamen scriberet? Dicam; sed postquam de usu prologi apud Romanos universe dixero. — Quoties ludi edebantur, indictos eos esse aut per praeconem (cf. Pseud. I, 5, 133.) aut per programma *) credibile est. Nomina autem fabularum, quae in scenam essent venturae, non videntur pronunciata esse, aut scripta in programmate. Nam quae Boettigerus (De personis scen. Opusc. p. 228) commentus est, picturis adeo propositis fabulas, quae spectandae forent, populo innotuisse, ea vereor ne mera sint somnia. Repertae quidem feruntur Pompeiis tesserae theatrales nomine comoediae inscriptae:



altera, *Avari* nomine inscripta, secundum facile inter caeteras locum obtinet, altera cui titulus est: *Les fourberies de Scapin*, non multo post ponenda videtur, principium iisdem rerum ante actarum narrationibus exorsus est, quae a prologis nihil differunt, nisi quod in his spectatoribus, illic personis fabularum narratur. Caeterum in alteram non pauca Molierius e Plauto adscivit, et altera tota Plautinis leporibus placet. Amphitruonis autem imitatio, quantum distet a Romani poetae opere, sentiet, qui vel primam primi actus scenam comparaverit.

*) Eiusmodi inscriptiones vid. ap. Romanellium, Viaggio

vid. Romanelli, Viaggio a Pomp. T. I. p. 216. Orelli Inscr. Latt. tom. I. n. 2539., sed ut fuerit hic mos Caesarum aetate, antiquiore tempore non videtur factum, quod colligo e verbis Ciceronis, Acad. IV, 7. *Quam multa, quae nos fugiunt in cantu, exaudiunt in eo genere exercitati, qui primo inflatu tibicinis Antiopam esse aiunt, aut Andromacham, cum id nos ne suspicemur quidem.* cum quo consentit Donati fgmtum de comoedia et trag. ed. West. p. LIX. *Huiusmodi adeo carmina ad tibias fiebant, ut his auditis multi ex populo ante discerent,* (dicerent?) *quam fabulam acturi scenici essent, quam omnino spectatoribus antecedens titulus pronuntiaretur.* Qui, obsecro, suspicioni aut coniecturae locus erat, nisi multitudo ignara, quae ventura esset fabula, assidebat? — Igitur antequam coepisset agi, fabulae nomen et poetae pronuntiabatur, brevi plerumque, ut videtur, carmine. Asin. prol. v. 6.

Nunc, quid processerim huc, et quid mihi voluerim,
Dicam: ut sciretis nomen huius fabulae.

Simul vel poeta se suamque fabulam, vel histrio gregem benignitati spectantium commendat, aut ille obtrectatoribus respondet, quod fecit Terentius. Apparet autem inde, aliis alio tempore opus fuisse prologis, non enim, quae olim Romae apta fuerant, aliis quoque locis ac temporibus convenire poterant. — Cui pronunciandi prologi partes datae fuerint, cur dubium

a Pomp. tom. I. p. 82. Goro Wand. d. Pomp. p. 57. Relaz. d. scavi di Pomp. p. 4. Orell. Inscr. tom. I. n. 2556. 2559.

interdum esse dicat Raumerus, non video. Mirum enim ni histrioni, qui, nisi fabulae personae, aut, quod eodem paene redit, numini mandatum erat proloquendi officium, singulari prologi ornatu prodibat. Poen. Prol. 3. 4

Sileteque et tacete, atque animum advortite.
Audire iubet vos imperator histricus.

item v. 44. sq.

Haec imperata quae sunt pro imperio histrico,
Bonum hercle factum, pro se quisque ut meminerit.

ac deinde v. 126.

Valete, adeste. ibo: alius fieri nunc volo.

Terent. Hec. Prol. II. v. 1.

Orator ad vos venio, ornatu prologi.

Rursus Plaut. Capt. Prol. 12. sqq.

Si non ubi sedeas locus est, est ubi ambules,
Quando histrionem cogis mendicarier.
Ego me tua causa, ne erres, non rupturus sum.

cf. Prol. Cas. v. 22. — In Captivorum Cistellariae, Menaechmeorum, Rudentis et Truculenti prologis quoniam nominis nulla fit mentio, credibile est, antequam proloqueretur histrio, indicium populo esse factum, solo nomine pronunciato aut ab eodem histrione, aut a chorago, qui et alibi inter actus ad populum verba facit. vid. Curc. IV, 1.

Argumenta autem quod in prologis Plautus narravit, nemo mirabitur, qui reputaverit, quos ille habuerit spectatores: non elegantes, puto, homines, non Scipiones aut Laelios omnes, sed magna ex parte rudem et incultam tardiorisque ingenii plebem, quorum

nisi praepararentur narrando argumento animi, metuendum erat, ne rerum seriem minus perspicerent. Quoties igitur varium erat et implicatum argumentum comoediae, ne quis erraret, copiose rerum summa narrabatur. *) Mil. II, 1, 72.

Et mox ne erretis, haec duarum hodie vicem
Et hinc, et illinc mulier feret imaginem.

*) Graecos novae comoediae poetas etiam prologos fabulis suis praemisisse certum est. cf. Meinek. p. 284. Quod vero Wolfius (de prologis Plautinis. p. 17 sqq.) contendit, fuisse eos Plautinis simillimos, atque argumenta non minus illis narrata esse, id vereor ne audacius dictum sit. Luciani verba, Pseudolog. III. p. 165. tantum abest, ut confirmare hoc putem, ut mihi adversari Wolfio videantur. Nam quum rogat Elenchum, ut velit διηγήσασθαι, τοῖς θεαταῖς σύμπαντα τοῦ δράματος τὸν λόγον, non argumentum ut narret hortatur, sed quae fuerit scribendi causa. Quod e proximis verbis apparet: ἄγε τοίνυν, ὦ προλόγων καὶ δαιμόνων ἄριστε, Ἔλεγχε, ὅρα, ὅπως σαφῶς προδιδάξῃς τοὺς ἀκούοντας, ὡς οὐ μάτην, οὐδὲ φιλαπεχθημόνως, οὐδ' ἀνίπτοις ποσὶ, κατὰ τὴν παροιμίαν, ἐπὶ τόνδε τὸν λόγον ἀπηντήκαμεν, ἀλλὰ καὶ ἴδιόν τι ἀμυνόμενοι, καὶ τὰ κοινὰ μισοῦντες τὸν ἄνθρωπον ἐπὶ τῇ βδελυρίᾳ. ταῦτα μόνα εἰπὼν καὶ σαφῶς προδιηγησάμενος ἵλεως ἄπιθι ἐκποδὼν, τὰ δὲ ἄλλα ἡμῖν κατάλιπε. Atque ita fit. Elenchus enim narrat, quibus dictis scriptor ab illo, in quem scripta est oratio, laesus fuerit. Hinc Menandri prologos Terentianis propiores fuisse suspicari licet. Caeterum non omittendum est, non prologum fabulae esse apud Lucianum, sed prologi ἀναλογίαν, et si artius tamen coniuncta esse Elenchi verba cum ipsa oratione videantur, causam esse in diverso scribendi genere. Ipsum enim se defendit Lucianus, non aliena narrat. — Qui de prologo Thaidis supersunt quatuor versus, (Meinek. p. 75.) pertinent ii quodammodo ad argumentum, sed ita, ut paratragoedans poeta, vel heroici carminis more invocans Musam, mores et ingenium mulieris paucis adumbret. Facta non narrantur, neque post hanc invocationem narrari potuisse videntur. Quare his quidem argumentis certa res non fit.

Menaechm. Prol. 47.

Ne mox erretis, iam nunc praedico prius:
Idem est ambobus nomen geminis fratribus.

Amphitr. Prol. 142. sqq.

Nunc internosse ut nos possitis facilius,
Ego has habebo hic usque in petaso pinnulas;
Tum meo patri autem torulus inerit aureus
Sub petaso; id signum Amphitruoni non erit.
Ea signa nemo horum familiarium
Videre poterit, verum vos videbitis

Quare ab hac quidem parte nemo recte Plautum vituperabit; personas autem haud raro melius fingi, magisque ad vitae veritatem exprimi potuisse, non nego, imo recte propterea poetam ab Horatio reprehendi, antea dixi. Senum maxime partes et adolescentum amantium neglexit; illos enim plus semel in tantum credulos caecosque fecit, ut merito dici possint:

Stulti, *stolidi*, *fatui*, *fungi*, *bardi*, *blenni*, *buccones*;

hos querulos, consilii inopes, solis servis res suas committentes. Neque tamen in omnibus id fit fabulis neque in aliarum personarum partibus aeque Plautus peccavit. E senibus ineptissimi sunt Demaenetus, Stalino, Nicobulus, Theuropides, Demipho; quis autem vituperabit Megadorum, Hegionem, Calliclem et Megaronidem, omnium autem lepidissimum illum Periplectomenem? Epheborum praeter Pistoclerum, Pleusidem, Lysitelem et Lesbonicum nullus laude dignus videtur; ineptissimus omnium est Charinus. Parasitorum plerosque erunt fortasse, qui nimis gulosos et

ultra modum ridiculos dicant, sed quovis pignore certare velim, ipsos et Ergasilum et Curculionem, Artotrogum, ipsumque ridere Gelasimum, quum omni coenae spe abiecta iamiam suspensurus se dicit: *Uno est Gelasimo minus.* Praeter caeteros autem egregie poeta finxit Saturionem, qui non minus quidem ventri studet, sed Phormioni fere similis non ridicule dictis, sed officiositate victum meretur, et multa lepide admodum nugatur, sive potius ridicule philosophatur. — Parasitis proximi sunt sycophantae, qui in Curculione et Pseudolo, praecipue vero in Persa et Trinummo lepidissimam praestant operam. Lenonum et trapezitarum prope unum est genus; impurum, inhonestum, rusticum, fraudis plenum. Neque multum ab iis distat rapax coquorum grex. Nescio an eiusmodi personis nemo magnam laudem mereri possit. — Meretricum aliae sunt protervae et versutae, ut Bacchides, Acroteleutium, Erotium; multo maior pars, ut Planesium, Silenium, Philematium, Philocomasium, Adelphasium cum sorore Anterastili, frugi mulieres et satis honestae, uniusque amatoris amicae fidelissimae. Si quam mihi displicere fatendum sit, Phronesium dicam esse cum Astaphio sua. — Sed longe felicissimum est Plauti ingenium in partibus servorum, neque ingenii celeritate, consilii calliditate et sermonum festivitate quod Epidicum, Chrysalum, Palaestrionem et Pseudolum vincat, quidquam novi. Unum Terentii Davum aeque laudo; caeteri ne comparandi quidem sunt cum illis.

Postquam de personis dixi de totis fabulis verbum

saltem addam. Et quamquam vix unam esse puto, quae non aliqua ex parte laude digna sit; quamquam Epidico, Bacchidibus, Mostellaria, Persa eximie delector, tamen quatuor tantum, in quibus nihil est non laudabile, commemorabo: *Captivos*, in qua dubito utrum patris afflicti sedulam curam, an servi fidem, suam salutem heri libertati posthabentis, an heri liberale ingenium pluris faciam; *Militem gloriosum*, in partibus Militis, stolidi vanique mulierum amatoris; Palaestrionis, servi fidelis simul et callidi; Periplectomenis, senis festivissimi; mulierum versutarum pariter egregiam et consummatam, in nullis non laude dignam; *Pseudolum* ioci et leporis ante alias plenam et *Trinummum*, quae ita amabilibus lepidisque personis optimisque exemplis abundat, ut quoties eam lego, non comici me poetae, sed philosophi Socratici opus legere mihi videar. — Has mihi qui improbare velit, eum aut ab intellectu Plauti longissime abesse, aut temporum nullam rationem habuisse, aut praeiudicatis opinionibus obcaecatam mentem habere dicam.

Quid ego de sermonibus multa addam, in quibus eruditissimorum antiquitatis hominum iudiciis palmam tulisse Plautus narratur. Sive enim seria agit et praecepta pleno effundit penu, ad quae componere vitam oporteat: in sententiis quanta gravitas, orationis quanta vis, quam probe et meditate eum hominum ingenia moresque novisse omnia testantur. Vide, quaeso, Mil. III, 1. amabilem illum senem, in quo *inest amussitata sua sibi ingenua indoles.* Aspice Poen. I, 2. et Pers. III, 1. Stich. I, 2. honestissimarum

ac sapientissimarum mulierum exempla. In Captivis (act. II. sc. 1. et 2.) heri et servi in generosis factis aemulationem, denique in Trinummo act. I, 1. 2. amici amicum castigantis probitatem, castigati fidem; adolescentem alterum frugi in primis, ac sapientem, alterum inertia quidem et luxuria corruptum, non tamen perditum, et liberale ingenium servantem, Philtonem, patrem sanctissimis moribus et filii saluti sedulo prospectantem, postremo splendidissimam illam Lysitelis orationem act. III, 2. quam quoties lego, ipse ad Stasimi verba compellor:

Non enim possum, quin exclamem: Euge, euge, Lysiteles! πάλιν.
Facile palmam habes. hic victus. vicit tua comoedia!

Sive iocis et lepide dictis populum delectat, cuius unquam poetae felicius eo in genere fuit ingenium? Non ea tantum dico ridicularia, quae a cavea cachinno excepta putes, sed aliud quoque facetiarum genus, quae nescio qua hilaritate et suavitate animum perfundunt, ut quum Sosias Amph. II, 2, 153. mirabundus dicit:

Tu peperisti Amphitruonem; ego alium peperi Sosiam:
Nunc si patera pateram peperit, omnes congeminavimus.

aut Tyndarus Capt. II, 2, 14.

Nunc senex est in tonstrina; nunc iam cultros attinet.

Ne id quidem involucre inicere voluit, vestem ne inquinet.
Sed utrum, strictimne attonsurum dicam esse, an per pectinem,
Nescio; verum si frugi est, usque admutilabit probe.

aut Chrysalus, postquam Mnesilochus facto iustissimo aurum patri reddidit. Bacch. IV, 4, 31.

Qui in mentem tibi venit, istuc facinus facere tam malum?

aut Tranio, ludens senes duos, Most. III, 2, 147.

Viden' pictum ubi ludificatur cornix una volturios duos?
Cornix astat ea volturios duo vicissim vellicat.
Quaeso huc ad me specta, cornicem ut conspicere possies.
Jam vides? Th. Profecto nullam equidem illic cornicem intuor.
Tr. At tu isto ad vos obtuere, quoniam cornicem nequis
Conspicari, si volturios forte possis contui.

Sed quid ego singulos laudem in tanta copia iocos, praesertim quum ubi de paronomasia dixi, multa huius generis mihi commemorasse videar. Illis potius respondeam, quibus ne ab hac quidem parte laude dignus Plautus videtur. Inurbani enim dicuntur ioci et inficeti. Puto huiusmodi dicta improbari, ut Poen. I, 2, 67.

Milphio, heus Milphio, ubi es? — Assum apud te eccum. — Ego elixus sis volo.

vel v. 79. sqq.

— *Ag At vide sis cum illa nunquam limavi caput.*
Mil. Curram igitur aliquo ad piscinam, aut lacum, limum petam.
Ag. Quid eo opu'st? Mil. Ego dicam: ut illi et tibi limem caput.

vel ib. III, 4, 19.

Ag. Quid si recenti re aedes pultem? Ad. Censeo.
Ag. Si pultem non recludet? Ad. Panem frangito.

Fateor ista nec mihi multum placere; sunt tamen rariora. Quaeram autem cur eadem non reprehendantur in Aristophane? An facetius dictum est illud Av. 812 sqq.

Π. βούλεσθε τὸ μέγα τοῦτο, τοὐκ Λακεδαίμονος,
Σπάρτην ὄνομα καλῶμεν αὐτήν; Ε. Ἡράκλεις.
σπάρτην γὰρ ἂν θείμην ἐγὼ τῇ 'μῇ πόλει;
οὐδ' ἂν χαμεύνῃ πάνυ γε κειρίαν ἔχων.

vel ib. v. 1526. sqq.

ΠΕ. ὄνομα δὲ τούτοις τοῖς θεοῖς, τοῖς βαρβάροις τί ἐστιν; ΠΡ. ὅ τι ἐστίν; Τριβαλλοί. ΠΕ. μανθάνω.
ἐντεῦθεν ἆρα τὸ ἐπιτριβείης ἐγένετο.

an ille ἐξ ἀπροσδοκήτου iocus Thesm. 531.

ἀλλ' οὐ γάρ ἐστι τῶν ἀναισχύντων φύσει γυναικῶν
οὐδὲν κάκιον εἰς ἅπαντα, πλὴν ἄρ' ἢ γυναῖκες.

elegantior est Plautino? Curc. V, 1, 1.

Antiquom poetam audivi scripsisse in Tragoedia,
Mulieres duas peiores esse, quam unam. res ita est.

Quam multa ex hoc genere afferri possint ex unis Equitibus, nisi puderet. At enim de Aristophane iudicium caute detrectant. Maior enim poetae fama est, quam quae minui rerum turpicularum exprobratione possit; Plautus impune laeditur. Non nego illud comoediarum genus, argumentum et consilium scriptoris quod attinet, cum nostris fabulis neutiquam comparari posse, attamen si quid impudice, si rustice, si inficete dictum est, non defenditur generis diversitate. — Sunt autem ista omnia non ex nostris, sed ex illis, quibus scripta sunt, temporibus iudicanda*), et quemadmodum nos multis in veterum comoediis offendimur, ita non dubito, quin nostrae fabulae magna ex parte veteribus inficetae et ineptae visae forent. Et fateor me dubitare, an haec summa sit comoediae virtus, ut quod in nostris fere omnibus fit fabulis, par amantium, modo furibundorum, morique paratorum, modo lento igne tabescentium per varios errores voluptatisque et doloris vicissitudines tori compotes fiant.

Enimvero nostram aetatem non minus istis rebus

*) Non possum, quin Goethii hic versus apponam legem continentes, qua Plautus si quis unquam poeta tenebatur:
Euch ist bekannt, was wir bedürfen:
Wir wollen stark Getränke schlürfen.

studere, sed earundem (ut Plautus loquitur) puto esse operarum; nisi quae clam facere non pudet, ea palam proloqui piget. Postremo si quis Plautinis fabulis exprobret, quod non eadem sit, quae apud nos, sermonis morumque castitas, is mihi exprobrare poetae videtur, quod non ad Christianae religionis praecepta animum et mores conformarit; iamque futuros suspicor, qui, si diis placet, artifices Graecos incusent, quod nuda deorum signa fecerint, atque Veneres et Bacchos, quam Apostolorum et Sanctorum effigies fingere maluerint.

ΕΠΙΜΕΤΡΟΝ.

DE CAESURA SENARII APUD PLAUTUM.

Postquam priorem dissertationem, quam publice defenderem, edideram, intellexi de locis quibusdam, quos breviter magis perstrinxeram, quam accurate tractaveram dubitari posse. In his praecipuus est is, quo negavi Plautum tales fecisse senarios, qualis editus fuerat Epid. III, 4, 27.

Mihi illam ut tramittás, argentum áccipias.

Non meum nunc est, quaerere, num vitiosus sit versus, et quo modo corrigendus. Videtur sane mutilus esse. Id unum non muto, sed pertinacius etiam contendo, non ferendam esse eiusmodi caesuram. — Nam quum continua Plauti lectione ita numeris aures assuevissent, ut iudicare posse mihi viderer, quid esset Plautinum, quid non, negavi recte fieri, quod nunquam factum memineram. Quod quum tamen dubium videri comperissem, non recusavi, quin denuo Plautum studiose atque uni huic rei intentus perlegerem. Atque inveni paucos quosdam versus, de quibus dicendum mihi videbam, ne quis abuti iis possit. Antequam vero, quae scripseram, typographo exscribenda traderem, cum eo rem viro communicavi, quem ego si dixero cum in omni antiquitatis scientiae genere, tum in re metrica principem, scies Godofredum Hermannum esse. Atque ut est is benevolentissimus atque humanitate nemini secundus, non solum sermonibus, quid sentiret, exposuit, verum etiam scripto, quo si vellem uterer. Mihi vero, ut soleo Plautina dicta in promtu habere, oppido in mentem venerunt versus illi:

Unumquodque istorum verbum nummis Philippeis aureis

Non potest auferri hinc a me, si quis emtor venerit.

Censebis me voluisse. — Consentit autem mecum

Hermannus, versum Epidici, et si ad eius exemplum qui compositi sint, esse vitiosos; hiatum vero, nisi pausa sit inter sententias, eo quo mihi visum est loco non probat, sed emendandos versus censet. Qua de re quum nondum etiam satis mihi persuasum sit, quamquam, caput rei quod attinet, nihil interest, utrum hiatum esse statuamus, an versus corrigamus, tamen neque quid mihi visum fuerit reticere, neque Hermanni emendationibus fraudare lectores volui.

Caesuras Plautus usurpavit easdem, quae legitimae dudum constitutae fuerant, quarum altera est in tertio pede, unde πενθημιμερὴς vocata est:

Id nos Latini | Gloriosum dicimus.

altera multo rarior in quarto pede, unde ἑφθημιμερής:

His indito catenas | singularias.

Atque eas quoniam diligentissime servavit, multa mihi laude dignus videtur. Nihil enim invenustius dicam senario in duas aequales partes diviso, ut si quis eiusmodi versum componere velit:

Nihil hac muliercula | vidi dicacius. *)

Apparet autem istis versibus non posse adnumerari neque eos, qui in caesura, aut post caesuram habent monosyllabum:

Ille demum antiquis est adolescens moribus.

Qui amantes una inter se facerem convenas.

neque eos, quibus est excusatio elisionis:

Coepi observare, ecqui maiorem filius.

Multiloquum, gloriosum, insulsum, inutilem. **)

*) Hoc est, cur displiceant versus Franco-Gallorum:

Dieu sur ses ennemis | répandra sa terreur.

et Germanorum, maxime superioris saeculi.

Doch eine Heldenthat | erfordert etwas mehr.

**) Video paullo copiosius haec mihi explicanda esse, ne de sententia mea quis erret. Etenim quum caesuras illas propterea maxime usurpatas arbitrer, ne versus esset ἰσομε-

Antequam vero de iis versibus dicam, in quibus, ut nunc quidem scribuntur, inest id, quod dixi, vitium, secernendi sunt alii quidam, in quibus ne inesse falso putetur, cavendum est. Ut si quis Asin. IV, 1, 10. ita pronunciare velit:

Addóne? Adde et scribás vide plane ét probe.

quum pronunciandus sit:

Addóne? — Adde et scribas, vide, plane ét probe.

Hunc et Curc. I, 1, 46. recte constituit Lingius in *Quaestionibus Plautinis*, libro multis nominibus com-

ρῆς, caveri id vitium tum monosyllabo, tum elisione dico. Monosyllabum enim et ad priorem, et ad posteriorem versus partem trahi potest. et quamquam nemo negabit, histrioni coniunctim pronuncianda fuisse, quae cogitatione sunt coniuncta, tamen interest, utrum metrica accedat incisio, an nulla sit. quoniam singulae voces, quantacunque sit in pronunciando celeritas, tamen distinguuntur; unius contra vocis syllabae uno tenore enunciantur. Quemadmodum in versu Rud. 1, 2, 29.

Cui debeatur | nil. Tace Sceparnio

nihil est vitii. Si paullulum mutetur:

Cui debeat nihil. Tace Sceparnio.

ineptus erit. Vel Pseud. I, 5, 50.

Non Pseudolum, sed | Socratem tecum loqui.

quem si quis ita mutare velit:

Non Pseudolum, Demosthenem tecum loqui.

differre hunc a priori fatendum erit. — Eadem est elisionis vis, quod dubium nemini potest videri, nisi vere elisas syllabas, non per synizesin pronunciatas falso quis existimet. Sunt autem caesurae per elisionem quatuor schemata, ad horum exemplum versuum:

Tun' cápite cano | amás, senex nequíssume?
Emit hósce de praeda | ámbos de Quaestóribus.
Multiloquum gloriósum | insulsum, inútilem.
Uxóris Simiaé dotem | ambadéderit.

Sive igitur recte me statuere concedas, sive subtilius distinguere dicas, ex his intelliges, cur tales versus, qualis est Merc. II, 2, 16.

Quamquam negotium est, si quid vis, Demipho.

huc non pertinere putaverim.

mendabili. Calidius tamen praecepisse mihi videtur vir eruditissimus, nisi in fine dipodiae trochaicae non esse ferendum hiatum. Puto enim tertium certe locum esse post caesuram illam, quae ἑφθημιμερὴς dicta est. Merc. II, 2, 12.

Tantum est. Lysimache salve. Euge Demipho.

Poen. III, 3, 72.

Blande hominem compellabo. Hospes hospitem.

ib. V, 2, 81.

Popularitatis causa. Habeo gratiam.

At dicat aliquis, maiorem hic esse inter sententias pausam, maxime ubi persona mutatur. Recte. Quid in caeteris? Mil. II, 6, 73.

Fateor. Quidni fateare, ego quod viderim?

Hermannus, quoniam eiusmodi hiatum non admittit, scribendum censet: *Fatebor.* Stich. I, 3, 35.

Nihili quidem, hercle, verbum ac vilissimum.

Hermannus hunc et praecedentem simul corrigit versum:

Nunc repperere ei verbulo vicarium:
Nihili quidem hercle verbulum ac vilissimum.

quamquam deminutivum hoc nusquam legi concedit. Asin. Prol. 4.

Face iam tu nunc, praeco omnem auritum poplum.

Ita e Pall. edidit Pareus, neque opus esse putabam Lingii emendatione. *Face nunc ïam tu.* quam tamen Hermannus probat. Capt. I, 2, 72.

Propterea te vocari ad coenam volo.

Herm. *Propt. te vocari ego ad c. v.* Pseud. I, 5, 9.

Quo in commeatum volui argentarium.

Herm. *volui hinc arg.* Rud. Prol. 72.

Nunc ambo in saxo leno atque hospes simul.

Herm. *leno atque eius hosp.* Amph. Prol. 151 sqq.

Adést. ferit. operae prétium hic spectántibus
Jovem ét Mercurium fácere histrióniam.

Hos versus ita emendat Hermannus:

Adest: fert operae pretium, his inspectantibus
Jovem et Mercurium facere hic histrioniam.

Atque in his egregia est coniectura: *fert* pro *ferit.* Verissimum enim est Sosiam, quem procul advenientem conspicit Mercurius, nondum pulsasse ianuam. Recte autem dicitur Sosias *ferre operae pretium*, quoniam eius adventu fabulae agendae fit initium. An praeterea quidquam mutandum sit, non ausim dicere. His accedunt duo versus. Stich. III, 1, 6.

Eos núnc laetantes fáciam adventú meo.

Herm. *faciam ego adv.* Men. Prol. 26.

Impónit alterum géminum in navém pater.

Herm. *Imponit geminorum alterum in n. p.* Tum vero malim nihil transponi. Nam *altri* et *altrum* et alibi legitur. — Tertium additurus eram Amph. Prol. 36.

Justa aútem ab iniustis pétere, insipiéntia est.

nisi quis mallet legere: *ea insipientia est*, ut Pseud. I, 5, 33. *Jam istaec insipientia est, sic iram in promtu gerere.* cf. Capt. III, 5, 92. — Dubium vero me fecit Hermannus monens *iniustis* in ictu esse debere. Caeterum habet versus caesuram ἑφθημιμερῆ, quare rationes nostras non turbat. Denique Cist. I, 3, 40.

Nunc quod reliquum restat, volo persolvere.

pronunciandum est:

Nunc quód relicuum réstat, volo persólvere.

nisi mavis: nunc relicuum quod r. — atque Rud. I, 1, 5.

Ita omnés de tecto dèturbavit tégulas.

ut Ter. Andr. II, 3, 17. *Sine omni periclo.* — Jam vero *septem* sunt versus, qui nullo hiatu aliave licentia defenduntur, sed quos tamen ipsi ictus ineptissime cadentes aliquid vitii contraxisse declarant. Hos ego quod emendandos censui, qui a codicum scriptura aegerrime recedo, atque coniecturas ultimam rei desperatae medicinam habeo, non puto reprehensum a quoquam, neque insimulatum me iri,

quasi ense rem reciderim, quam ratione et argumentis expedire non potuerim. Neminem enim futurum spero, quin ita versus hos ferri non posse existimet, et quae ego affero medicamina, ea tam lenia sunt, ut vix coniecturarum nomine digna videantur. Quin etiam suspicor, unum vel alterum locum alias iam esse emendatum. Nam quum minime hic sectarer critici ingenii laudem, sed id unum caverem, ne prava vulgatae verba mihi obessent, solam Pall. scripturam cum ea comparavi. Versus hi sunt: Aul. IV, 8, 9.

Nam ego modo declinavi paullum me extra viam.

Verum in uno tantum Pal. fuisse *modo*, et a manu aliena testatur Pareus. In C. V. esse *non*, itemque in tribus aliis. Primum et secundum cod. neutrum habere. Atque hi quidem recte; alterum enim manifesto falsum, alterum ineptum. Lege:

Nam ego déclinavi paúllulum me extrá viam.

Capt. prol. 9.

Eumque hinc profugiens vendidit in Alide.

Pulcher, mehercle, versus, sed ita scribendus:

Eumque hinc profugiens vénumdedit in Álide.

ib. III, 5, 6.

At út confidentér mihi contra dstitit.

non minus elegans atque ictuum vi commendatus. Quum deesse aliquid certum videretur, conieceram in fine addendum esse: *vide*. Sed verior est Hermanni emendatio:

Atát ut confidénter mihi contra ástitit.

Amph. Prol. 137.

Quo pácto sit donis donatus plúrimis.

transponenda hic una est vocula:

Quo pácto dónis sit donatus plúrimis.

Merc. II, 1, 36.

Illam conspicio forma eximia mulierem.

quem locum fortasse nimis curiose huc traxi. Nam

in vulgata nihil est vitii. In utroque autem Pal. est *adspicio.* Tum vero hiatus vitium prodit. Legendum:

Illanc adspicio forma eximia mulierem.

cf. Trin. II, 4, 119.

Per deos atque homines dico, ne tu illunc agrum
Tuum siris unquam fieri, neque gnati tui.

ubi non magis δεικτικὸν est pronomen, quam in hoc mercatoris versu. Stich. III, 1, 10.

Quoniám re bene gestá redisse mé vident.

Pareus Pall. secutus edidit *bene re gesta.* In promtu est, cur vagum sit vocabulum. Scriptum fuit:

Quoniám bene gesta ré redisse mé vident.

absorbuit autem duas literas sequens verbum. deinde *re* non suo loco repositum est. Superest versus Cist. II, 3, 8.

Herilem filiám nostram sustóllere.

ubi non dubito reponere:

Herilem nostram filiam sustóllere.

Praeterea tres sunt versus, in quibus mediis finitur quidem simul cum pede vocabulum, sed ab illo tamen Epidici versu diversissimi, quoniam in longe alias partes divisi sunt. Curc. II, 1, 21.

Sed quid tibi est? — Lien necat, renes dolent.

Pers. III, 3, 6.

Procax, rapax, trahax, trecentis versibus.

Bacch. II, 3, 110.

Id mihi haud, utrum velim, licere intelligo.

Hos tantum abest, ut repudiem, ut elegantes admodum et ipsis sermonibus aptissimos dicam. Quare si ex iis argumenta quis contra me comparet, frustra comparabit. Satis enim apertum est, quos ego versus damnaverim.

Num quid praeterea superest? Est sane. Ex octo paene millibus senariorum qui de Plauto reliqui sunt, unus inquam versus. Merc. Prol. 47.

Perfidiam, iniustitiam lenonum expromere.
Hic portus, haec ara, quo confugere oportebit, si quis tueri nihilo minus eiusmodi versus velit. Scio et hunc emendari posse si *Lenonum* in principio versus collocetur, sed soleo in transpositione timidior esse, neque impetrare a me unquam potui, ut tali medicina uterer. Hermanno simili argumento defendi posse videtur, atque illi tres, quos postremo commemoravi, versus. Mihi nihilominus durus et incompositus videtur. Caeterum tacere non possum, numeros cum in aliis huius fabulae partibus, tum in prologo indignum in modum esse turbatos.

Ita mihi disputasse videor, ut quivis intelligere possit, me neque temere aut inconsiderate versum illum Epidici damnasse, neque offirmato animo atque obstinato in sententia mea velle perstare, sed negasse id, quod falsum esse ratione et argumentis mihi persuasissem.

E r r a t a.

p. 14. v. 2. l. ancipiti. p. 31. fin. Quum denuo Mus. P. Cl. perlustrarem, vidi me errasse memoria. Non enim caelatum opus sed patera est Etrusca. p. 33. v. 3. l. segni. ib. v. 9. l. dopo. p. 34. v. 3. l. ξόανον. p. 37. add. Hor. Sat. I, 6, 118. *adstat echinus.* p. 38. v. 22. l. 456. p. 44. v. 12. l. XV. p. 48. v. 24. l. codicillorum. p. 69. v. 6. pro hunc l. tunc. p. 80. v. 9. l. iisdem.

TYPIS ELBERTI.